VITT. EMANUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
22 D
29
12 - 3 - a - 29
Digitized by Google

Digitized by Google

MARSILII CAGNATI VERON.

Medici Romani.

IN APHOR. HYPPOC. XXII. SECTIONIS PRIMAE.

Germana quamuis noua Expoſitio, quæ totam Aphoriſticam pharmacandi doctrinam reclуſam habet.

NVPER EDITA PER

PHILANDRVM COLVTIVM Veliternum, Medicinæ in Romano Gymnaſio Profeſſorem.

Cui additus eſt Comm. in Hypp. Aphor. ij. Sect. xxiv. aliàs impreſſus, qui totam ferè prouidentiæ rationem in Medicina continet, contra communem interpretationem, & omnia aliquibus in locis ſecũdum mentem Auct. ab ipſo Philandro illuſtrata, & aucta.

Perilluſtri, ac Reuerendiſs. D.

VICTORIO MERVLLIO.

ROMÆ, Apud Barthol. Zannettum. 1619.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sacr. Palatij Apoſtolici.

Cæſar Fidelis Viceſg.

EGo Franciſcus Cerrinus ex commiſſione Reuerendiſſimi Patris Fr. Hyacinthi Petronij Sacri Apoſtolici Palatij Magiſtri, recognoui præſentem librum, qui inſcribitur Marſilij Cagnati Medici Romani, in Aphoriſmum vigeſimumſecundum primæ Sectionis, Germana quamuis noua expoſitio, nuper edita per Philandrum Colutium Veliternum Medicum, in Romana Schola profeſſorē, cui additus eſt Commentarius in Aphoriſmum ſecundæ Sectionis vigeſimumquartum, & in eo nihil inueni, quod vel Ortodoxæ Fidei,

vel Chriſtianis moribus aduerſetur; atque propterea tum propter auctoritatem tanti viri, inter celeberrimos hac noſtra tempeſtate nemini certè ſecundi, tum propter nouitatem, & excellentiam doctrinæ impreſſione digniſſimum exiſtimaui.

Ego Franciſcus Cerrinus Phyſ.

Imprimatur, Fr. Gregorius Donatus Rom. Mag. Socius Reuerendiſs. P. Fr. Hyacinthi Petronij, Sacr. Pal. Apoſtol. Magiſt. Ord. Prædic.

PERIL-

Digitized by Google

PERILLVSTRI,
Ac Reuerendiſs. Domino.

VICTORIO MERVLLIO
Protonot. Apoſtol. & S. D. N.
PAVLI V. Medico à Secr.

PHILANDER COLVTIVS
Veliternus Medicus Rom. Fel.

MARSILIVS Cagnatus Præceptor meus tuum in re Medica iudicium, & ingenium tanti fecit ſemper, vt cum ſermo eſſet curæ Illuſtriſs. & Excellentiſs. M. Antonij Principis Burgheſij Pauli Quinti Nepotis adhuc valetudinarij ex variolis, cui nam honor tribuendus eſſet, cumque aliqui etiam Medici affirmarent. Hirundines venis narium appoſitas (quæ magnam

partem in cura habuerant) propoſitas ab hoc, vel illo Medico pronuntiauit Marſilius promptè ſine fugo, & fallacia, vt faciebat multis præſentibus, qui adhuc viuunt, honor, laus (vtar verbis ipſius) omnis debetur Victorio Merullio Sanctiſſimi Medico à ſecretis. Quippè nil actum, nil examinatum, quod ab eodem prius non eſſet excogitatum. Nos verò reliqui, qui curationi præfuimus, ad confirmandam ipſius ſententiam, vti veram acciti ſumus. Quamobrem cum Marſilij commentationem nouam in Aphoriſmum xxij. qui incipit concocta medicare Typis mandare decreuiſſem. Tibi comendandam exiſtimaui, enimuerò ſi Marſilius viueret tibi etiam committeret, & ad oſtendendam memoris, & grati animi voluntatem propter beneuolentiam, quà germanum fratrem meum proſequeris, vale, & feliciter viue. Romæ Kalendis Septembris, 1619.

LECTO-

LECTORI CANDIDO.

PHILANDER COLVTIVS *Veliternus*. Fel.

SVBTILIS vt viſa eſt aliquibus (candide Lector) eſt verè, quædam in Hyppocratis Aphor. xxij. primæ particulæ expoſitio, ſed tamen nō leuis, immò grauiſſima eſt; In primis grauitate ſententiæ ab Hypp. pertractatæ, ex duobus enim maximis remedijs; in medicina alterius ſaltem dextrum vſum pertractat, auctoritate Interpretum. Marſilius enim Cagnatus Præceptor meus medicinæ corypheus habuit à ſuo præceptore Alexandro Petronio, qui ambo clariſſimi in vrbe fuere Medici, ex antiquis etiam Aſclepiades non longè aberat ab hac ſententia, quia relicta materiæ præparatione purgabat ſtatim per initia, grauiſſima pariter cenſenda, quia ex fonte græco, & præter grauitatem addit

maxi-

maximam veritatem; hoc, quod omnium Medicorum experientiæ reſpondet eminenter: omnes enim ſecundum præſentis Commentarij interpretationem faciunt medicinam, contrariam nihilominus in præſentem Aphoriſmum docent commentationem. Lege igitur candidiſſime Lector, atque iterum lege hoc Commentarium, veritatis enim pleniſſimam ſententiam inuenies continere, cum auctoritatibus, rationibus, experientiæ reſpondeat ad amuſſim vale, & expecta hanc ſubtilem, & ingenioſam explanationem per omnes Europæ Academias vti veriſſimam recipi, & admicti à mollibus, duriſque ingenijs, & tantum abeſt vt euaneſcat, vt potius in dies magis, atque magis vires acquirat.

PHI-

Digitized by Google

PHILANDRO COLVTIO
viro virtutis eximiæ.

ÆTIVS CLETVS S. P. D.

ETIAM, atque etiam gauiſus ſum, cum Marſilij Cagnati enarrationem ad Aphoriſmum vigeſimumſecundum Sectionis primæ, te nuper typis daturum accepi, quò tandem illa eluciat veritas, quam medicinam faciendo pleriq. omnes ſectantur, docendo reſpuunt: poſſe nimirum ex Hyppocrat. germana doctrina initijs morborum, nulla præparatione corporis præuia, medicamentum purgans propinari, cuius ſententiæ vti Hyppocrat. exiſtimamus auctorem, ita ex vetuſtioribus aliquot eandem ſecutos perſuaſum habemus. Aegypto enim poſt tertiam diem Medico licuiſſe mouere Ariſt. memorat Alexandro 3. Politic. capit. 11.

xandro aduerſa valetudine exagitato, tertiâ iam euoluta die, medicamētum Philippum lib. 3. de reb. geſt. Alexan. *Medicum deſtinaſſe, apud Curt. legimus. Lucianus Samoſatenſis vbi ſe Medicum fixit, patris inſaniam curaturus, Pharmaco primā* lib inſcripto abdicatus. cap. 41. *eſt, curationem aggreſſus. Cæterorum exempla omitto, & præſertim Galen. à quo lib. de* 2. Aphor. 29. *optima ſec. ad Traſyb. & alibi morbis incboantibus purgantia medicamēta, minimè reÿcienda docemur. Sed hæc mille quæſtionibus implicita, & totidem contradicentibus locis ſunt expoſita vna ſola Marſilÿ enarratio omnes quæſtiones dirimit, omneſque componit lites. Cuius illa propria fuit laus, vt inexarandis Hyppocrat. ſententÿs poſt natum Galen. nulli fuerit ſecundus. Hanc mollibus dumtaxat ingenÿs iucundam ſum ratus. Quod enim de re ſeria, durioris ingenÿ viri teſtimonium afferre queunt, alioquin Bardi, & ardeliones, quo equidem gaudendum eſt. Enimuerò eſt ſcitum (vt more gentium loquar) pro Dÿs ſuperis nectaris adſeruari pocula, non onagris bellaria; neq. eſt cur noua iſta hæc opinio dehortetur, hæc deterreat adeò vt hanc ſolam ob cauſam, tanquam leuis reicienda ſit, quoniam Galen. aduerſatur, & poſterioribus cunctis. Quandoquidem multæ extitere opiniones apud Priſcos, quas vſus, & experientia varias eſſe demonſtrauit, nec non litterarum commendatione noua deplodere opus fuit.*

Vete-

Digitized by Google

Veterum fuit opinio circiter æquinoctionalem circulum inhabitabilem eſſe terram, quod figmentum eſſe, ad illas partes patefecit claſſium peregrinatio. Quid vulgatius quam ad amantem ſolo hyrcino ſanguine molleſcere? hoc quoque vanitatis plenum eſſe pronunciatum, non ignobiles teſtati ſunt Auctores. In anathome quot ſeniores ſecuti ſunt ſententias, quas oculata Fides inanes eſſe declarauit? innumera ferè ſunt veterum decreta, quæ in meliorem ſententiam, veritati magis, quam auctori addicti, neoterici tranſtuliſſe gloriantur. Vnde Galen. cui Marſilÿ refragatur interpretatio, illud pronunciandum eſt, quod ab eodem de Archigene proditum fuit, & Alex. tral. memorat. Difficile nimirum fuiſſe, cum homo fuerit, non etiam in multis aberraſſe, eumdemque nonnulla prorſus ignoraſſe, nonnulla etiam negligentius ſcripſiſſe. Cœleſte quippè donum eſt veritatem philoſophando ſemper aſſequi; humanum verò interdum aberrare, quamobrem cum humanis legibus Galen. fuerit ſubiectus, à veritate nonnunqnam decli naſſe, non indicens eſt, neque indecorum, memores bonum quandoque dormitaſſe Homerũ, & neminẽ vbiq. potuiſſe felici ludere dextra. Hinc ſapientiſſimus Hyppoc. tam fallere, quã falli neſcius, à futuris interdum ſe deceptum litteris ſcriptum reliquit; à quo arrepta occaſione, de illo hoc protulit elogium Cor. Cel. à

Garz. ab ort. libr. 1. de his p. an. cap. 48.

lib. 5. cap. 4.

lib. 5. Epid.

ſutu-

APHORIS. XXII.

SECTIONIS PRIMAE.

Πέπονα φαρμακεύειν καὶ κινέειν, μὴ ὠμὰ, μηδὲν ἀρχῆσιν ἢν μὴ ὀργᾷ τὰ δὲ πλεῖστα οὐκ ὀργᾷ.

Antiqua verſio ex Forliuenſi.

Digeſta medicari, & mouere non cruda, neque in principijs, niſi ſunt furioſa, multa verò non ſint furioſa.

Alia verſio ex Hollerio, & alijs.

Quæ matura, coctaque ſunt, medicamentò purgante educere, atque mouere oportet, non cruda, neque per initia morborum, niſi ſuaptè humores ciantur impetu, quòd per raró fieri ſolet.

Theodori Gazæ verſio.

Concocta euacuare, mouereque non cruda oportet, nec in principio, niſi turgent; ſed magna ex parte non turgent.

Nicolai Leoniceni verſio, quæ voluminibus Galeni reperitur.

Concocta medicari, atque mouere, non cruda, neque in principijs, modo non turgeant: plurima verò non turgent.

Aliqui Codices ex eodem Leoniceno habent plurimum verò non turgent, ſeu, vt aliqui alij, magna ex parte non turgent.

Verbum verbo reditum ab ipſo Philandro ſecundum præſentem interpretationem.

Matura medicari, atque monere, non cruda, neque in principijs, niſi turgeant, plurima verò non turgent.

Eiuſdem Philandri conicctura.

De noua hac interpretatione, loquens cum Marſilio illud proponebam, deeſſe aliquod verbum probabile eſſe aſſeuerabat ſene ille Marſilius, cum autem expoſtularem, quòd hoc eſſet, communiter concordes eramus, & primum illud ipſum ego in medium afferebam, temporis antiquitate, primum corroſum, vel amiſſum verbum fuiſſe, & legendum inquam eſſe.

Τὰ νοσήματα πέπονα φαρμακεύειν, addito ſcilicet verbo Νοσήματα ſententia videbatur clara.

Nam cum Hyppocrates natus ſit anno primo octuageſimæ olympiadis, ſcilicet ante Reperatoris Humani generis Natalis diem quatercentum quinquaginta octo annis, ita vt iam agatur biſmilleſimus ſeptuageſimus ſeptimus annus, hoc anno 1619. quòd annotabã mea Cronologia Medicorum Illuſtrium ab orbe condito, tanto longo temporis tractu, aliquod amiſſum verbum eſt ſatis probabile, hanc verò coniecturam quiſque ſuo arbitratu recipiat, & equè, bonique conſulat, inquantum ad præſentem interpretationem facit.

MARSILII CAGNATI
Viri celeberrimi.

IN APHORISMVM XXII.
Primæ Sectionis.

COMMENTARIVS.

Concocta medicari, atque mouere, non cruda; neque in principijs, modo non turgeant: plurima verò non turgent.

HIC Aphoriſmus vniuerſam perturbauit medicinam, multaque incommoda peperit miſeris ægrotis: tanta eſt enim eius obſcuritas, tamque anceps, & periculoſa (ſi male percepta ſit) ſententia, vt de albo aphoriſmorum, iam inde à vetuſtis temporibus deletus ſit: quod Galenus teſtatus eſt, in huiuſmet Aphoriſmi Commentario. Eſt autem Oribaſius ex eorum numero, qui Aphoriſmum hunc præterierunt, quippè qui 21. & 23. exponit ſimul, omiſſo penitus 22. qui verò ipſum receperunt, & interpretati ſunt in abſurdas opiniones illapſi ſunt, & magnas ſtudioſorum mentibus tenebras offuderũt, coactiq́. ſunt tot, & tanta ad eius interpretationem mouere, vt pro vnius breuiſſimæ ſententiæ inter-

interpretatione prolixos Commentarios, & integra volumina ediderint, ac reuera tanta eſt huius Aphoriſmi obſcuritas,& difficultas, vt ego adhuc, ſi vera dicere fas eſt, vix aliquid inuenerim, quod mihi ſatisfaciat adeò cumulatè, vt credam ſcopum me attigiſſe, & germanam auctoris ſententiam aperuiſſe, difficultatis cauſſas ad tria capita redigi animaduerti, ad obſcuritatem verborum, quibus Hyppocrates vſus eſt, ad apparentem ſententiarum contrarietatem, & ad fictas quaſdam licet receptas, & peruulgatas aſſertiones, de quibus ſingulis dicendum erit, quàm diligentiſſimè, nam res ea tractatur, quæ maximè omnium diligentiam, & attentionem poſtulat, cum enim inter præcipua Medici officia euacuatio ſit, tam ea, quæ per pharmaca, quam ea,quæ per venæ ſectionem at,ſi res ea mala percepta ſit, qui medicinam facit inſtar eſt furentis hominis gladium manu geſtantis; redditur enim medendi ars, & diſciplina obſcura, varia, inconſtans, & periculi plena, adeòque ſuſpecta, vt iam non ars videatur, ſed pecuniarum potius aucupium, vel inanis gloriæ tendicula, in eius autem explicatione de conſilio Hyppocratis præ cæteris differẽdum eſt, quo percepto apparebit etiam ratio, quamobrem Aphoriſmus hoc loco poſitus ſit: percurremus autem primum ſententiam aliorum Interpre-

terpretum, deinde poſitis, quæ veritatis gratia ponenda ſunt, quid mihi viſum ſit maximè omnium probabile in medium afferam.

Sententia Galeni.

Primum igitur non iniuria quæret ſtudioſus, quid Galenus de conſilio Hyppocratis ſenſerit in hoc Aphoriſmo, atque cum ille hoc apertè minimè dixerit, facilè aliquis crederet, poſſe accipi ex illis eiuſdem verbis in eiuſdem Aphoriſmi Commentario, ſcilicet, cum natura perfectè mouet, nullo eſt opus medicamento, cum mediocrius, atque imbecillius agit, id, quod deficit, oportet ſupplere, vt ab vtroque noxij humoris fiat euacuatio, natura quidem expellente, medicamento verò attrahente. Hæc igitur Galenus ait, ex quibus videtur accipi, conſilium Hyppocratis eſſe, docere, euacuandum à medico, quando natura imperfecte euacuat: quæ fuit Philothæi opinio dicentis, Hvppocratem docere, quomodo rectè poſſit medicus humorem in iudicatione relictum euacuare, ſed hęc interpretatio verbis Aphoriſ. non reſpondet, nam cur concocta accipiantur pro imperfectè vacuatis, & iudicatis; nonne poſſunt eſſe aliqua concocta,, quæ minimè ſint euacuata, quæ omninò mouere opus ſit? ſanè occurrunt ſæpè tumores, & abſceſſus, in qui-

bus concoctum pus reperitur, cuius nulla pars eſt euacuata, quos aperire, & inde pus educere neceſſe eſt, ſed & febres ſæpè ſine euacuatione ſoluuntur ſine ſignis ſolutorijs, vbi cum ſit abſque vacuatione concoctio, vacuatio medica requiritur, itaque concocta non erunt euacuata imperfectè: ſed hac interpretatione non explicatur cur facta ſit crudorum mentio, & eorum, quæ turgent, niſi dicas Galenum, ita exiſtimaſſe Hyppocratem docere quæ ſint euacuanda, & quæ non, nam humorum aliqui mouentur, aliqui minimè, qui mouentur vacuãdos eſſe, ij ſunt enim, qui dicuntur turgere, qui non mouentur non eſſe euacuandos, niſi quando concocti fuerint, & fuerint imperfectè euacuati, hæc ſanè accipi ex Galeni Cõmentario poſſunt, verum ad Hyppocratis conſilium explicandum non videntur cumulatè ſatisfacere, quoniam clariſsimum eſt in his, qui aqua inter cutem laborant, in hydrocele humores in parte hærere, & minimè moueri, tamen crudos euacuari, docuiſſeque Hyppocratem lib. de fiſtulis taberculum circa rectum inteſtinum ſecari crudum debere, nec ſuppurationem expectandam, ſed de crudis vacuandis, vel non, poſterius dicetur copioſius; ſed nec rectè accipitur; vt poſterius dicetur vocabulum, turget, nec credendum nomen concocta tàm anguſtè acceptum, vt ſignificet

ſolum

ſolum vacuata imperfectè, & iudicata imperfectè. Itaq. videtur Galenus ſtudioſis Aphoriſmi verba interpretatus, quàm proprium Hyppocratis in hoc ipſo Aphoriſmo Conſilium.

Sententia Auicennæ, & recentiorum.

Auicenna 1. 4. tract. 2. cap. 7. viſus eſt exiſtimare Hyppocratē docere in hoc Aphoriſmo. Quodnam morbi tempus minimè idoneum ſit ad purgandum; docet enim in principio non eſſe purgandum, niſi turgeat, ſed & hæc interpretatio eſt plena dubitationum, de quibus poſterius opportunè magis diſputabitur, nunc ſatis eſt admonuiſſe, eam verbis non reſpondere, nam cum duo proponātur concocta, & cruda, verba Aphoriſmi ſonant, quod concocta quocunque tempore mouenda, cruda nunquam, niſi cum turgent, ſcilicet de crudis apertè ſatis loquutus eſt Hyqpocrates, cum inquit, non eſſe mouenda cruda, neque in principijs, quod ſignificat, (vt clarius poſtea intelligetur) nunquam mouenda eſſe, niſi cum turgent; ergò à contrario concocta ſemper poſſunt moueri: deinde Auicenna putat ſermonem eſſe de ſolo purgante medicamento, cum verbum mouere, plura ſignificet, vt poſtea dicetur.

Simili modo reliqui omnes Interpretes ad

Auicennæ ſententiam accedunt, & opinantur, hoc præceptum pertinere ad vſum ſolius purgationis, & licet Braſauolus verbum mouere interpretetur pertinere, quoque ad ſudores, & lotium, tamen venæ ſectionem præteriuit, quæ maxime eo verbo ſignificatur, Galeno auctore 2. Aphoriſmi 29. quo ſolo nomine ſuſpecta eſt hæc tam vulgaris interpretatio, præter ea, quæ dicenda ſunt de ea aſſertione in principio morbi purgandum non eſſe, niſi turgeat.

Curtij ſententia.

Curtius paulò diuerſa proponit, ſcilicet Hyppocratẽ in 20. Aphoriſmo docuiſſe quid à Medico faciẽdum cum natura perfectè euacuat, in 21. cum imperfectè, hoc loco, quid cum nihil omninò euacuat; ſed contra Galen. docuit Hyppocratem in hoc Aphoriſmo docere quid faciendum, cum natura imbecilliter euacuat, non autem cum omninò nihil, & nos oſtendimus, documentum Aphoriſ. 20. eſſe commune iudicationi perfectæ, & imperfectæ, & in 21. non agi de euacuatione imperfecta naturæ, ſed ſola propenſione ad euacuationem.

Cum ergo hactenus Hyppocratis in hoc Aphoriſmo conſilium reliqui interpretes non attigerint, laborabimus, & nos pro viribus, vt il-

vt illum interpretemur apertius, diximus autem difficultatem à tribus naſci capitibus, à verborum obſcuritate, ab apparente contrarietate, & à fictis quibuſdam Interpretum aſſertionibus, de quibus ſigillatim, & ordine oportet in primis diſſeramus.

Marſilij opinio, & in primis de verbo concocta.

De verbis igitur prius dicendum, atque præfandum in hoc Aphoriſmo nullam eſſe vocem, quæ careat dubitationibus, quin & de interpūctis, & de ſyntaxi ipſa, ortas eſſe quęſtiones, vt ſuis locis apparebit.

Eſt autem primum vocabulum concocta, de quo primum eſt dubium, quo ſenſu accipiatur cum multiplex ſit concoctio: deinde dubium eſt cōcocta ea, quæ nam ſint, humores ne, & materia, an morbi; nā de vtriſque dicitur, concoctos eſſe, vel crudos, quinimmò & de hominibus dicitur concocta, Græcè πέπονα, rectius vertitur matura, nam concocta dicunt Græci πεπτὰ, vel πεφθέντα, non abſque inſigni differentia, quod eſt iudicatum ab Ariſtot. in 4. lib. Meteor. vbi diſtinguit inter πέψιν, & πέπανσιν, ideſt concoctionem, & maturationem; cum velit maturationem propriè dictam de fructibus, & tranſlatè de alijs quibuſdam, concoctionem verò accipiat

piat pro quaſi genere, quo & maturatio, & elixatio, & aſſatio contineatur; immo, & alia, quæ nullum ex his ſunt, cuiuſmodi alimenti concoctio, quæ ſimilis tantum eſſe dicitur elixationi ab Ariſt. non autem eſt propriè elixatio. Vt verò diſtinguitur inter πέψιν, & πέπανσιν ita diſtinguendum inter πεπτὰ, & πέπονα, ſunt enim coniugata πέψις, & πεπτὰ, ſiue πεφθέντα, concoctio, & concocta, πέπανσις, & πέπονα, maturatio, & matura; poſſet tamen aliquis contendere hæc omnia eſſe coniugata, & habere eamdem originem; ſed Ariſt. indicauit in horum vſu nominum diſtinctionem eiuſmodi adhibitam, quapropter intelligatur, inter πέπανσιν, & πέπονα, maiorem eſſe affinitatem, quam inter πέπανσιν, & πεπτὰ, vel πεφθέντα, vel πεπεμμένα; & ſimiliter inter πέψιν, & πεπτὰ, vel πεφθέντα, & πεπεμμένα, (quæ accipiuntur ab Ariſt. vt amplioris ſignificationis, quam alia) eſſe maiorem affinitatem, quam inter πέψιν, & πέπονα: nam vt πέψις, eſt veluti genus, ita πέπανσις, eſt veluti ſpecies, & πέπονα, dicebantur, in quibus erat iam ipſa πέπανσις, cum reliqua, in quibus eſſet aliqua πέψις, ſed non πέπανσις, dicerentur, πεπτὰ, vel πεφθέντα, vel πεπεμμένα; dixit Ariſtot. λέγεται καὶ ἄλλα πολλὰ πέπονα τῶν πεπεμμένων, ergo non ſunt paria πέπονα, & πεπεμμένα, nam πεπεμμένα ſunt omnia, in quibus πέψις τις, concoctio aliqua, horum verò quædam dicuntur πέπονα, ideſt, matu-

matura. Ergo differt inter concocta, & matura: rectius igitur hoc loco legimus matura, quàm cõcocta, quoniam græcè ſcriptum eſt πέπονα.

Cum autem πέπονα, ideſt, matura ſit nomen adiectiuum tacitè ſubſtantiuum, ab Hyppocrate indicatum, neceſſe eſt: hoc verò quod nam ſit, non ſatis conſtat. Humores, ſiue excrementa, vt bilis, & pituita, item ſputa, & lotium, hoc cognomen ſibi vendicare, eo probatur, quod Hyppocr. lib. acut. 4. 77. inquit πέπονα τὰ οὖρα, maturas vrinas, & πέπονα πτύελα, & πτύσματα πέπονα, ſputa matura, quæ lib. 3. Epid. ægro primo dixit πτύελα ὑποπέπονα, ſputa ſubmatura. Et lib. 1. Epid. ſect. 1. Tuſsiebat, inquit, parua denſa matura, μικρὰ, πυκνὰ, πέπονα, ſicut è cõtrario paulò poſt inquit, ὠμὰ πτύοντες cruda exſpuentes. Et lib. 3. ægro. 6. ἔβησσεν πέπονα, extuſsit matura; & eiuſdem primi ſect. 2. vrinas vocat crudas, & maturas, τὰ οὖρα ὠμὰ, καὶ πεπαινόμενα, & lib. 3. ſect. 3. ægro. 6. οὖρα πέπονα, & ægro. 13. crudas alij deiectiones vocauit, inquiẽs, venter perturbatur, multis bilioſis, ſinceris, crudis, πολλοῖσι, χωλώδεσιν, ἀκρήτοισιν, ὠμοῖσι. Et paulò poſt διαχωρήματα ὠμὰ, deiectiones crudæ. Ariſtotel. quoque lib. 4. Meteor. ſect. 1. cap. 3. agens de maturatione, ait eam eſſe in tuberculis, & pituita, & contra ait, crudas vacuari deiectiones ventris, & deſtillationes; quæ

tamen

tamẽ omnia poſſunt etiam dici concocta; ſed ita, vt nomine generis intelligatur ſpecies, dicuntur enim concocta, quæ matura ſunt, & maturatio ſpecies concoctionis quædam eſt. Ergò tum humores, tum excrementa dicta πέπονα, ideſt matura reperiuntur, & ὠμὰ, ideſt cruda. Maturos quoque morbos vocari, accipimus ex eodem 2. acut. 40. & 42. vtitur quidem alio vocabulo, πέπειρον, ſed eiuſdem omninò ſenſus; videre eſt enim lib. 2. de dieta, de fructibus promiſcuè ſumpta hæc duo πέπειρα, & πέπονα, Et lib. 5. epid. num. 15. inquit, ſubducere oportet ventres in morbis, poſtquam maturi fuerint ἐπὴν πέπονα ᾖ, quod totidem verbis repetitum eſt in 7. lib. epid. num. 32. in 4. aut acut. 21. crudum affectum vocat, ὠμὸν τὸ πάθος, quod ſequitur, vt contrarium dicatur πέπον, ideſt, maturum. Et 5. Aphoriſ. 67. Galeno Interprete, tumores vocati ſunt crudi, τὰ ἔνωμα, quorum contrarij dicuntur maturi, τὰ πέπονα, quæ fortaſſe dixit τὰ χαῦνα, Hyppocrat. eo loco, quaſi τὰ χαῦνα, & πέπονα, pro ſynonimis acceperit, dixit cruda, pro duris, quæ ſcilicet maturari minimè poſſunt, vt qui Scirri appellantur; vt fructus etiam quoſdam libr. 2. de diæta, dixit alios maturos, alios duros, πέπειραι, & σκληραί, durum ſcilicet pro crudo accepit; & quod Hyppocrates dixit σκληραί, Dioſcorid. dixit ὠμόν, vt cum de piris vterque loquitur.

Homi-

Homines verò maturos Hyppoc. dixiſſe nõ cõſtat: ſed Homerus lib. 13. Iliad. Therſitem inducit Græcos ſic appellantem, ὦ πέπονες, o maturi, & Ariſtophan. Equitatibus, σκοπῶν ὅς τις αὐτῶν ὠμός ἐστιν, ἢ πέπων ἢ μὴ πέπων, & de Hectore Athen. li. 2. Aeſch. illa dixit ἀνὴρ δ᾽ ἐκεῖνος ἦν πεπαίτερος μόρων, vir autem ille erat maturior moris.

Verum docente Ariſtotel. 4. Meteor. Hæc omnia tranſlatè dicuntur, cum de ſolis fructibus propriè maturatio dicatur, quorum ſimilitudine reliqua dicuntur matura, at in fructibus, cum maturuere tria ſunt, ætas, & ſuauitas, & ad decerpendum facilitas, reliqua, quæ dicuntur matura, aut ætatis, aut ſuauitatis, vel facilitatis rationi dicta ſunt. Itaque maturus homo dicetur ſenex, item dicitur, qui ætate apta eſt ad aliquid, quod ætatem requirit, vt Poeta dixit; Iam matura viro, & plenis nubilis annis; dicetur quoque maturus, non ætatis ratione, vt modo dictum eſt, ſed facilitatis, & morum, vt crudus ὠμός, dicetur ob difficultatem, & contumaciam: quamobrem Interpres Iliad. dixit, πέπονα, virum vocari mollem, & diſſolutum, & nonnunquam iocundum Ariſtophanis Græcus Interpres, equitibus, inquit, ad illud σκοπῶν ὅς τις αὐτῶν ὠμός ἐστιν, &c. ὠμός, σκληρός, δυσκαταμάχητος, πέπων, ἀντὶ τοῦ ἀπαλεστράστως διατεθῆναι δυνάμενος. Crudus eſt homo, qui & durus eſt,

& inex-

& inexpugnabilis, maturus, contra mitis, qui facile ſe vinci patitur, qualis Mutio ille Terrentianus fingitur in vetuſtis Gloſſis hæc leguntur ὠμὸς περὶ ἀνθρώπους, crudus, acerbus, crudelis, ὠμὸς περὶ καρποῦ, immaturus, ſcilicet nomen hoc ὠμὸς, cum de homine dicitur, latinè vertitur crudus, acerbus, crudelis, quæ ad mores pertinent, cum dicitur de fructibus vertitur, immaturus, quod eſt ætatis. Sed cum homines maturi, crudiq́ue dicantur, & propter ætatem, & propter mores, ſcire eſt, vtramque tranſlationem à fructibus deſumptam, nam ea maturetur, quæ ad mores pertinet, ſequitur eam, quæ ad ætatem: namque vt fructus immaturi, ſic & iuuenes dicũtur, & ſenes contra, maturis fructibus ſimiles; ſed quia maturi fructus eſu idonei, & iocundi ſunt, & facile decerpuntur, contra verò acerbi, itaque Theophraſt. lib. 4. de cauſis plant. vocauit fructum ὠμὸν ἄπεφον, ideſt, eſu ineptum; ſic & homines faciles, mites, vrbani, quorum iucunda eſt conſuetudo, à Græcis dicti πέπονες, & his contrarij difficiles, moroſi, inurbani, ὠμοὶ. Et hæc de vocabulo πέπονα.

De verbo Medicare.

Medicare, græcè φαρμακεύειν, quod Galenus ſignificat ad hunc locum, purgans medicamentum exhibere, quod & 4. Aphoriſ. 1.

Ex

Ex communi ſententia affirmauit: tamen Hyppocr. 4. acut. 29. vſus eſt in eclogmatum mentione, in curatione anginæ, φαρμακεύειν, inquit, τοῖσιν ἐκλεικτοῖσιν, pharmacum adhibens, ex his, quæ delinguuntur. Sanè conſtat pharmaca vocari omnia, quæ vim habent immutandi corpora, vt deſcribuntur à Galeno lib. 1. de ſimpl. cap. 1. itaque & inſcripſit Galen. ſuos libros περὶ ἁπλῶν φαρμάκων, quæ tractatio non ſolum purgantia, ſed & quæ citra purgationem afficiunt, & immutant, calefaciendo, frigefaciendo, laxando, adſtringendo, rarefaciendo, denſando, & reliqua, quæ eodem libro diſertè Galenus expoſuit, quin, & venena vocata ſunt pharmaca; itaque Hyppocrat. in 2. de mor. in eo verbo morbus, in quo caput aqua repletur, pharmacum vocat, etiã quod nares euocat ἐς τὰς ῥῖνας ἔγχεαι φάρμακον. Eſt autẽ aliud φαρμακεύειν, quàm καθαίρειν, nam hoc ſolum dicitur de euacuatione illud de quacunque mutatione, cum vtrumque latinè vertatur purgo, aut purgans medicamentum exhibeo, qua ambiguitate nonnulli aberrarunt, quamuis autem φαρμακεύειν dicatur de quocunque genere medicamenti, tamen ſimpliciter dictum ab Hyppocrate ſignificat purgare medicamentis ſupernè, aut infernè dicentibus, quod innoteſcet magis ex dicendis ad priores Aphoriſm. 4. ſect.

De verbo Mouere.

Mouere κινεῖν. Gal.ad 2.Aphor.29. diſertè docet, verbum hoc ita cōmune eſſe purgationi per medicamēta,& venæ ſectioni, vt indicet de venæ ſectione maximè dici,nam cum Hyppoc. ait: Incipientibus morbis,ſiquid videtur mouēdū,moue;Galen. ait,hoc de venæ ſectione maximè accipiendū, nonnunquā verò,& de purgatione;ſed nihil à medicis efficitur,quod hoc verbo nō cōprehēditur,vt Hyppocr. indicauit 2.Aphor.51. Multū,& repetè euacuare, replere, calefacere, frigefacere, & omninò mouere periculoſum. Mouere igitur eſt cibū offerre, vel auferre ; nā inquit replere, & vacuare, item purgare ſanguinem,quæ comprehenduntur verbo vacuare, mouere eſt calefacere, frigefacere, & huiuſmodi alia, quæ cum innumera ſint breuitatis gratia cōplexus eſt Hyppocrates vna voce mouere.

De verbo non cruda.

Nō cruda, μὴ ὠμὰ, quæ cruda dicātur ſatis expoſuimus agentes de maturis, vt enim matura translatè, ſic & cruda dicuntur, vel de humoribus,vel de morbis, vel de hominibus, illuc notandum non cruda, duas eſſe voces, non autem vna, quæ ſit compoſita ex negante particula, & nomine cruda, & negantem pertinere ad verba medicare, & mouere,non

ad ip-

ad ipſum nomen cruda, neque fuit vel Hyppocratis, vel aliorum Græcorum conſuetudo ex μὴ, negationis nota, & nomine aliquo vocabula negationem ſignificantia componere, ſed dicunt ἄδικος, ideſt, iniuſtus, non dicunt μήδικος, vt iniuſtus ſignificetur, dicunt ἄτροφος, non μήτροφος, vt ſignificetur eſui ineptus, ſic ἄοσμος, non μήοσμος, vt ſignificetur inodorus, & ſimilia, quod faciũt, vbi carent proprio nomine contrarij, ſed cũ πέπονα, & ὠμὰ, ſint nomina contrarium ſignificantia, non fuit neceſſe componere nomen, μὴ ὠμὰ, neque αὠμὰ, quorum neutrum apud Græcos reperitur, quis præterea eſſet huius compoſitæ vocis ſenſus, μὴ ὠμὰ? ſi enim eſt negatio eius, quod ſignificat ὠμὰ, ideſt cruda ſignificabit cõcocta, vel matura, quæ repetitio eſſet vana, & inepta, & præter Hyppocr. conſuetudinẽ.

De verbo in Principijs.

Neque in principijs principij nomen caret dubitatione; ſignificat enim primum morbi tempus, quod nemini ignotum eſt illud, obſcurum poteſt eſſe, quibus finibus diſtinguatur à reliquis temporibus; etenim non eſſe primum inſultum, nec primam acceſſionem. nec habere ſtatum dierum, aut horarum numerum ſatis eſt à Galeno explicatum lib. de morb. tempor. & 1. de criſ. Sed dubium eſt vtrum ſymptomatum paruitate, an ſignis co-

ctionis ab alijs temporibus diſtinguatur, quæ ſigna appareant, præſertim in lotio, & alui deiectionibus, ſed hoc poſterius examinabimus.

De verbo Turgere.

Niſi turgeat ἢν μὴ ὀργᾷ, verbum hoc, ait Galenus translatum ab animalibus turgentibus ad humores, qui motu concitatiore feruntur, & de parte vna, in alteram fluunt, ſicut dicta animalia dum titillantur, commouentur, & concitantur ab affectu quieſcere non valent, verum hoc non videtur conſentaneũ Hyppocr. & alijs vetuſtis auctoribus; quos reperimus vſos hoc vocabulo, potius ad res alicubi hærentes ſignificare, quam vllo concitatas motu, atque ὀργᾷν, ſiue turgere, nihil aliud ſignificat, quàm vehementer appetere, & tumere pro deſiderio aliquid effundendi Hyppocr. lib. de genit. ἢν μὲν ὀργᾷ ἡ γυνὴ μίσγεσθαι. Si mulier vehementer concupiſcat viro miſceri, Ariſtoph. auibus, καὶ μὴν ὀργῶ νὴ τὸν Δία, per Iouem turgeo. Scholiaſter inquit, ὀργῶ ἐπιθυμητικῶς ἔχω, ideſt, auidè deſidero, gliſco Ariſtot. lib. 6. de hiſt. anim. cap. 18. Sæpè hoc vtitur verbo in ſermone de brutarum coitu, fœminarum, & inquit ὀργῶσι πρὸς τὴν ὀχείαν, turgent ad Venerem, quod eſt Venerẽ vehementer appetunt, quod eodem loco dixit ὁρμῶσι πρὸς τὴν ὀχείαν, impetu feruntur ad Venerem

nerem, non quia huc, atque illuc percurrant, & volitent; ſed quia intus habent libidinis vehemens incitamentum, vel ſi in cubili quieſcant. 4. probl. 9. quærit. Cur qui non turgẽt nec coire debẽt, nec ſternutare, nec vomere, nec flatus dimittere διὰ τί οὐ δεῖ μὴ ὀργῶντα, &c. Theoph. lib. 2. de cauſſ. plant. cap. 24. τὸν καιρὸν λαμβάνουσι τῆς ἐπισπορᾶς, ὅταν ὀργᾷ τὸ ὑποκείμενον, ſuperſationis opportunitatẽ capiat, cũ turget ſubiecta plãta, loquebatur, ſcilicet de turdis ferentibus alui deiectione viſcum in plantis quibuſdam, quod idcircò naſcitur, quoniam tunc ſemen illud eiciunt turdi, cum plantæ turgent, ideſt ſunt ad germinandum propenſæ, quod oculorum, ſiue gemmarum tumore ſignificatur, iuxta illud Virg. 7. Eglo. Iam læto turgẽt in palmite gẽmæ. Et 1. Geor. Stipula lactãtia turgent; cui cõſentaneum eſt alterum eiuſdẽ Theoph. lib. 1. de cauſ. plant. cap. 6. Turgere arbores ad germinandum ὀργᾶν πρὸς τὴν βλάστησιν, quæ docent omnia turgere non humores ipſos, ſed corporis partes humore turgidas, & idcircò effundere auentes, ſicut lib. de genit. Hyppocr. dixit, mulierẽ turgere cum virũ appetit. Sic lib. 3. de fracturis. 18. Galenus interpretatus eſt eo loco ὀργᾶν τὸν ἐπειγόμενον πρὸς τὴν ἀπόκρισιν τὸν τόπον τοῦ μέρους, affectam partem, quæ ad excretionẽ incitatur, lib. quoque 2. de morb. agens de vua, inquit, καὶ ἢν μὴ ὀργῶντα τάμνῃς, Si non tur-

gentem ſecueris, turgere dixit partem illam malè affectam, non autem humorem, nunquã autem Hyppocrates dixit, humores, aut huiuſmodi materiam turgere, & ſi interpretes aliqui in Aphoriſm. 1. Sect. 4. ἢν ὀργᾷ, verterunt, ſi materia turget, cum tamen in Græcis nunquam legatur vox aliqua materiam ſignificans, & ex dictis apparet eam interpretationem, minime probandam eſſe; eſt autem verbum hoc perſonale, vt illic ὀργῶν νῦν τὸν διὰ, & ὅπου ὀργᾷ τὸ ὑποκείμενον. Sed eſt nonnunquam imperſonale, vt hoc loco, & quarto Aphor. 1. ἢν μὴ ὀργᾷ, niſi turgeat ἢν ὀργᾷ, ſi turget, ideſt, ſi propenſio, & impetus adſit ad purgationem. Sic 1. de morb. mulieb. ἢν ὀργᾷ φάρμακον πίσαι κάτω. Si turget, ideſt, ſi impetus adſit ad purgationem, propina pharmacum deorſum purgãs, adiungitur quoque aliquando infinitiuus, vt ἢν ὀργᾷ μίσγεσθαι, ſi appetit miſceri, ſed & ſæpè abſolutè ponitur, ἢν ὀργᾷ, ſed ſupplere nos oportet, & addere verbum rei, de qua agitur accommodatum, vt primo de morb. mul. eat ad virum cum menſes non fuerint multi, ſed pauci, & benè colorati, & turget, καὶ ὀργᾷ, hic intelligimus addendum infinitiuum aliàs poſitum, μίσγεσθαι, & appetit miſceri viro. Et in eodem οὐκ ἐθέλει μίσγεσθαι, οὐδὲ ὀργᾷ τοῦτο δρᾶν. Non vult miſceri, neque turget hoc facere; vbi oſtenditur ὀργᾶν eſſe deſiderium facultatis naturalis, non autem ſen-

tien-

tientis, & intelligentis: itaque dixit, non vult, quod eſt conſilij, & intellectus, & ſubiũgit, neque turget, quod eſt naturæ. Cum verò ſermo eſt de purgatione, addendũ eſt verbum aptum, ἢν ὀργᾷ, ſcilicet καθαίρεσθαι purgari. Si adeſt naturalis propenſio ad purgationem. Hactenus expoſuimus Aphoriſmi verba, & fundamenta iecimus noſtræ interpretationis.

Omnia prædicta, ex locis ipſiuſmet Hyppocratis comprobantur, & aliorum.

Matura non ſunt humores, vel excrementa.

Vt ergò Hyppocratis conſilium aſſequamur, in primis quæritur, quæ nam ea ſint, quæ Hyppocrat. vocat πέπονα, & concocta, ſiue matura, humores ne, an excrementa, an morbi; nam de hominibus non poteſt eſſe controuerba, niſi vt poſterius dicam. Probatur autem primo, non eſſe humores magis, qui dicũtur maturi, quàm excrementa, namque & hæc tum cocta, & matura, tum cruda ab Hyppocrate dicuntur; ea tamen & cocta, & cruda (etſi turgent) promiſcuè euacuantur, & naturæ ſponte, & remedijs: nam lotio, vtcumque ſuppreſſo, & aluo adſtricta, etſi titillatio nulla ſit, quis non ea tentat, nulla expectata maturatioue elucere? quam ſæpè verò cruda ſpontè fluunt, & quidem vtiliſſimè? item ſudor, vt emanet, nemo maturationem eius expectat. Sputa quoque cruda, & matura di-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

cuntur: ea tamen, & ſpontè naturæ cruda plerumque per os eijciuntur, & medicamentis prouocantur vtiliter, licet nulla adſit titillatio. Similiter ad nares trahimur excrementa promiſcuè cruda, & matura, & naturæ quoque ſpontè feruntur. Cumque omnia hæc pharmacis ſæpe educenda ſint, non fuiſſent ab hoc præcepto excipienda.. Deinde non poteſt hoc præceptum de cunctis humoribus affirmari: nam ſanguis creberrime educitur, nec tamen vnquam eius maturitas, aut concoctio expectatur. Nec vere dicitur ſermonem eſſe de ſolis ijs, quæ pharmaco purgante educuntur; nam verbum mouere, omne opus medicum, vt diximus ſuperius, ſignificat, & maxime ſanguinis miſſionem. Et alienum eſt exiſtimare Hyppocratem temere tranſire à particulari, ad generale, niſi enim in ipſo generali plura comprehendi velit, quorſum breuitatis, (vt putant) ſtudioſus generali vtatur verbo, quod propter ambiguitatem ſententiam obſcuret? certè alienũ eſt, ſanguinem excipere, cui Aphoriſmi verbum mouere, maxime conuenit; at ſi non excipitur, manet quæſtio indiſſolubilis, quoniam ſemper euacuatur non exſpectata maturatione; niſi dicas ſanguinem ſemper maturum eſſe: at ſicut accipis ſanguinem ſemper maturum eſſe, docebo pituitam, & bilem vtramque maturam ſemper eſſe: nam ſi ſanguinis

Matura non de ſanguine.

guinis naturalem concoctionem, qua ſanguis eſt, intelligis maturationem, de qua hoc loco ſermo eſt, eumdem accipias oportet in alijs humoribus, qui opera natiui coloris, eã formam, quam habent, naturaliter aſſequuntur, quæ illorum perfectio eſt, atque adeò concoctio quædam eſt: propterea non eſt inter illos, & ſanguinem diſtinguendum, ſicut etiam non eſt diſtinguendum inter ea, quæ vomitu, & ea, quæ deorſum educuntur, quaſi de hoc ſecundo ſolum genere Hyppocratis ſententia accipienda ſit, vt ait Maſſaria: cum vocabulum φαρμακεύειν, commune ſit vtrique generi, & eo Hyppocrat. promiſcue vti conſueuerit, ſic 4. Aphor. 4. φαρμακεύειν μὲν θέρεος μᾶλλον τὰς ἄνω, χειμῶνος δὲ τὰς κάτω. Præterea cum de bile, & pituita loquimur, multa emergunt aliena. Primo enim extat obuia maxime, & valde apparens contrarietas inter hunc Aphoriſmum, & 2. ſect. 29. Inchoantibus morbis ſi quid videtur mouendum, moue, & in hac eadem ſectione poſterius, In acutis affectibus raro, & in principijs. Vult igitur per initia purgandum: cum tamen per initia crudos humores eſſe, vulgo apud Medicos ſtatutum ſit. At dicent incipientibus morbis, ſanguinem mittendũ, mouere enim maxime de ſanguinis miſſione dictum. Galeno auctore ad illum, ſect. 29. Raro purgandũ, dixit enim Galenus nonnunquam, quia ſcilicet,

De bile. & pituita.

Contrarietas.

Initia purgandum.

cet, rarò turget; itaque & in acutis affectibus rarò dicit, quia rarò turget; at hoc fallere eſt; nã ſi in aphor. illo 29. mouere maximè accipitur de venæ ſectione, cur non etiam in hoc Aphoriſmo de eadem accipiatur? Sane hoc eſt illud, pro ratione voluntas: quod ſi concedas hic. mouere, venæ ſectionem maxime ſignificare, falſo dicitur, concocta medicare, & mouere,. Nec dicendum initio lenientia pharmaca offerenda, de quibus in 2. ſect. 29. Abſtinendum autem à fortioribus, & electiue, (vt aiunt) vacuantibus, quæ ſolum poſt concoctionem offerri debent, de quibus hoc loco Hyppocrates eſt intelligendus.

Lenientia, & electiuè vacuantia.

Primò enim videretur Hyppocrat. luſiſſe, nam potuiſſet hac diſtinctione contrarium docere, concocta non medicanda, & inchoantibus morbis non mouendum; namque fortia initio pharmaca non ſunt accipienda, & concocta lenientibus non curantur, ſed electiue euacuantibus, vt aiunt, quæ argutiæ docent differentes ad ingenij exercitationem; non autem res graues feriò tractantem. Deinde non erat ignota hæc diſtinctio Hyppocratis, qui lib. de loc. in homine fecit debilium, & fortium pharmacorum mentionem. Et lib. de natura humana, memorauit pharmaca, quæ dicuntur electiue euacuare, cum ait, ſumpto pharmaco bilem educente: primobilem, deinde pituitam, vomitum, tum

demum

demum bilem atram, &c. Tum contrarius reperitur vſus medicamentorum fortium apud ipſum: nam 2. acut. in curat. pleurit. Veratro, & peplio fortiſſimis vtitur, & hoc die 4. vt ait in 4. acut. Vbi in febribus in quibus tubercula in cruribus oriuntur, ſcãmonium ante diem quintũ exhibet, & illud fuiſſe principium ſignificat. Et quamuis eo loco dicat, purga mediocriter, μέτρως, tamen ſcamonium eſt, forte, ac peculiariter bilem purgans medicamentum Galeno; idcircò familiare. Præterea Galen. ad 2. Aphoriſm. 29. inquit, per initia debere maiora remedia adhiberi: eaque eſſe venæ ſectionem, & purgationem; nec intelligam purgationem per leuiora medicamenta, quoniam hoc non eſſet maius remedium. Inſuper Galenus paſſim docet his contraria, quæ in Aphoriſmo dicuntur, ſi de humoribus locutum Hyppocr. acceperimus: nam ad eumdem 2. ſect. 29. inquit, quæ concoquuntur; (cum hoc fiat per vigorem morbi) ſuperuacaneũ eſt euaacuare. Sed dilucidius lib. 1. acut. 18. inquit, illud vacuandum, vt quod exuſtum eſt, & amplius concoqui non poteſt; nec dicat aliquis, exuſtum eſſe concoctum: nam cur diſtinguit inter concoctum, & exuſtum, ſi & hoc eſſe concoctum? Item lib. de conſtit. art. medic. cap. 19. Si quid, inquit, relinquitur quod cōctionem effugiat, illud vacuandum eſt: ergo non

Concocta nū-quā ſunt purganda.

go non

go non concocta, ſed cruda docet euacuanda. Nec dicendum, quod initio materia antecedens euacuatur, non autem coniuncta, & coniunctam eſſe eam, quæ concoquitur, quæ ſit poſterius educenda; non eſt hoc dicendum, quia non propterea diluitur quæſtio; nam ſi liceat antecedentem purgare, quæ cruda ſit, ergo cruda vacuantur; ſed cur non liceat, & vacuare coniunctam, quæ re non differt ab antecedente? quid prohibeat pharmacum adducere coniunctam, ſi poteſt antecedẽtem tollere? An fortaſſe Hyppocrat. ſermo eſt de ſolis inflammationibus, de quibus in 4. acut. 20. in quibus prohibet per initia purgationem, quia nihil de parte inflãmata detrahũt? at hic ſermo communis, atque in illis inflammationibus ſanguis initio mittitur, quod hoc Aphoriſmo prohibetur, ſi de humoribus agitur promiſcue. Quamobrem nec ſanguinem liceat initio educere; ergo licet cruda initio euacuare, atque omninò Galenus docet, vacuandum prius, poſtea concoquendum, nec præterea euacuandum, niſi quid concoctionem ſubterfugiat ad 2. Aphor. 16. Sanguinis corrupti multitudinem ſuperabundãtem vacuandam docet, deinde, quod reliquum eſt, reſtituendum propriæ naturæ, quod eſt concoquere; neque verò diſpar aliorum eſt humorum ratio: nam commune omnibus remedium eſt, euacuatio, & concoctio, vt Galen.

docet

docet lib. de conſt. art. med. cap. 19. & lib. art. med. cap. 89. atque ſi vtraque opus ſit euacuatione, ſcilicet, & concoctione, vacuationem præcedere, vbique docuit. Nec dicas, euacuationem quoque ſequi concoctionem, namque iſtud ita natum facit, vt auxilio Medici non indigeat: immò concoctio eſt criſis futuræ indicium, quæ vt non eſt interrumpenda dum fit; ita nec incipienda eſt paullò poſt futura; ſolent autem medicamenta iudicationes impedire, vt Hyppocr. notauit 4. acut. 11. Epid. Is autem docuit lib. 15. ſect. 2. Cōcoctionem ſignificare criſis celeritetem, & ſecuritatem, vt Galenus dixit in 2. libr. de diff. febr. cap. 7. Indicia autem concoctionis pręmonſtraſſe criſim futuram. Ait quidem hoc loco Galenus, ſi natura intra modum, & languidius euacuet, id, quod deeſt medicamento ſupplendum; & hoc verum eſt; tamen ſi de re eadē Hyppoc. locutus eſt, cur nō admonuit nos, purgandum concocta, ſi à natura debilius euacuentur; ſed ſolū dixit cōcocta, &c.

Natum euacuat poſt concoctionem.

Sed neque conſentaneum eſt, quia dicit, non cruda, ſed docuimus ſatis, cruda euacuari, quia Galenus ſæpe laudat euacuationem ante concoctionem, quodque natura debilius euacuans poſtulet artis auxilium, hoc rarius accidit: propterea non eſt veriſimile, præceptum hoc traditum de his, quæ rarius accidunt, cum ſit contrarium his, quæ fre-

frequentius eueniunt: nam frequentiſſimum eſt, cruda euacuari, idque vtiliter; quoniam natura validius, & concoquit, & deinde euacuat, cum à concoctione vacuare conſueuerit, & euacuat, non id, quod concoxit, ſed quod concoquere nequiuit, ideſt crudum; quod probatur eo quoque, quod ipſe Galenus ſcripſit lib. 11. Met. cap. 15. Saluberrimum in omni febre ſanguinem mittere, vt natura leuata ab eo, à quo tanquam à ſarcina præmitur facilius concoquat, ſiquid concoquendum eſt, & expellat, ſiquid expellendum eſt, quæ euacuatio præcedit; quam ſequitur concoctio ſiquid ab euacuatione relictum eſt, cui concoctioni ſuccedit altera euacuatio, ſiquid inconcoctum remanſit, neque enim neceſſe eſt à concoctione ſupereſſe aliquid euacuandum, quod oſtendit illa particula ſiquid, ac ſi euacuandum eſt, non eſt ſemper opus medicamento; quoniam ipſa ſolet natura euacuare, & de naturali concoctione loco dicto Galenus locutus eſt, hocque magis intelligitur ex Galeni verbis ad hunc Aphoriſmum; ſiquidem natura poſt vacuationem videtur aperte humores ſecernere, & quod ſuperuacaneum eſt expellere, his inquam, Galenus docet non euacuari concoctum, ſed quod ſuperuacaneum eſt, quod ſuperuacaneum oportet accipere eſſe quoque alienum, & crudum, quoniam ait ſuperuacaneum ſic

eſſe

eſſe, vt à concocto ſuperauerit vſus verbo διακρίνειν, quo ea diuerſitas indicatur, qua intelligimus genus rerum diuerſum ſuperandum, vt aliud ſit, tanquã familiare retinendũ, aliud verò tanquam alienum reijciendum, non autem ſolam copiam minuendam; nam minuere non eſt diſcernere, ſed non eſt opus diuinare, cum ad 2. Aphoriſm, 17. dixerit Galenus ſuperfluum quod euacuatur partem eſſe vitioſi humoris, quæ pars concoqui non potuit: ergo relinquitur, vt cruda euacuentur, ſi remanet poſt concoctionem, nec à natura expellitur, vti cruda quoque ante concoctionem vacuata eſt. Neque occurrat aliquis dicens concoctionem eſſe variam; nam Galenus loquitur de concoctione præcisè humorum, quorum partem ait prius euacuandam, & partem deinde concoquendam, dicant verò, de qua Hyppocrat. concoctione locutus ſit, nam ſi de eadem, de qua Galenus: ergo cruda ſunt euacuanda. An de præparatione humorum ante facta putant locutum, vt concocta ſint præparata, & non præparata ſint cruda, & hoc eſt vim inferre. Hyppocratis orationi, vbi namque is reperitur vſus nominibus concoctum, & crudum pro præparato? cum præſertim crudum, & coctum ſit naturæ, præparatum verò ſit ſolius artis. Vbi de humorum apparatu aliquis à Medicis faciendo locutus eſt? de corporum apparatu

Galen. loquitur de concoctione humorum.

Digitized by Google

ratu purgationis gratia locutus eſt quidem 2. Aphor. 9. & 4. Aphor. 13. Sed de humorum apparatu nuſquam Galenus adiecit quidem, humores quoque apparatu quodam indigere; ſed hoc de craſſis tantum docuit, nō etiam de tenuibus, & natura facilibus, qui educantur, atque hos etiam apparatu indigere; nempe craſsè factione (vt craſſos egere attenuatione) Galenus non dixit, eſt Arabum comentum ab Hyppocratis, & Galeni conſilio alienum accedit, cum crebro liceat per initia purgari, hoc abſque apparatu faciendum, quia non extat ſpatium, ac tempus ad apparatum hunc ante vacuationem initio faciendum, atque adeò nunc ſatis eſt interpretari, matura, ideſt, præparata, & cruda, ideſt non præparata; namque multa non pręparata licet euacuare. Sunt autem qui dicūt in concoctione remanere putridum quiddā, quod vacuandum eſt poſt concoctionem; itaque cum Galenus lib.art.med. de concoctione loquitur nomine alterationis, & ait ab ea finiri putredinem, manente ſubſtantia, addunt remanere ſubſtantiam putridam, quę fit euacuando;& idcircò ſubiungi, eo loco documentum de natura euacuationis. Sed hi quoque male philoſophantur; putant enim ſermonem eſſe Galeno de alteratione, vt ab Ariſtotele definita eſt libr. de gener. & corruet. quod ſit mutatio in qualitatibus eodem

ſubie-

ſubiecto ſenſibili remanente. Itaque crediderunt in alteratione putreſcentium humorum debere aliquid putridum remanere; nam alioqui non eſſet alteratio. Sed Galenus de medica loquitur alteratione, quæ vtcumque ab Ariſtotele definita ſit; Galen. ipſi eſt humorũ priſtinę integritati reſtitutio, vt dilucide docuit lib. de cõſt. art. med. c. 19. Cui ſententiæ paſſim alibi cõſentanea de cõcoctione differens affirmauit. Alteratio igitur ſinit putredinem manente ſubſtantia non putrida; ſed reſtituta priſtinæ integritati; manet autẽ in corpore, ex quo educitur per euacuationem, vt loco eodem ſubiungit, non quia velit concoctam, & reſtitutam euacuari, quod fruſtra fieret; ſed quia ſcopus alter ex propoſitis erat euacuatio, quæ & ipſa pariter ſinit putredinem, non quia reſtituat humorem putrem integritati, & eundem relinquat in corpore, vt alteratione fit; ſed quia abſque alteratione, id quod putridum eſt è corpore educit. Educitur autem non ſolis pharmacis, (quamobrem Interpretes putant concoctione, & præparatione opus eſſe;) ſed ſanguinis miſſione, quæ non eget huiuſmodi apparatibus, & per alia inſtrumenta, quæ pariter nullam concoctionem fieri poſtulant; ſed plures ſuccus educunt, vt per apophlegmatiſmata & per errhina, per clyſteres, quæ Galenus eo loco nominauit: immò tantũ abeſt,
vt

vt Galenus ibi alterationem purgationis gratia expoſuerit, vt catalogum euacuationum recens hanc vnam prætermiſerit. Demum ſiquid putridum remaneat vacuandum, quis illud concoctum, vel maturum potius vocet, quàm crudum, & illud ſit, de quo Hyppocr. concocta medicare, cum Galenus dicat illud poſt concoctionem remanere inconcoctum; & ideò euacuandum; accedit iltud putre, cinis inſtar relictum poſt concoctionem ex Galeni ſenten. lib. 2. de diff. febr. cap. 19. Exiguum, & in ſolis craſſis humoribus reperiri; & idcircò facile ſponte ſua vacuatum iri, quamobrem de re inutili, hoc eſſet documentum, ac demum hoc in ſolis febribus locũ habeat; quid ergo in alijs morbis ſeruabitur: licet igitur cruda in illis purgare, at cur non etiã in febribus, quod verò in alijs morbis crudos humores Galenus vacuauerit, docuere Docti viri ex cap. de cõp. med. sm̃ locos, vbi in Alopegia, & in Achoribus Galen. initio purgandum docuit. Et lib. 2. in cap. dolore. & 13. met. in oculorum inflammatione, quod ſi reſpondeant ijs locis dubium eſſe relictum, an ea purgatio, cuius fecit Galenus mentionem facta ſit initio morbi præcise, & ante præparationem, vel concoctionem, nã quod ait primo non eſſe referendum ad morbi tẽpora, ſed ad ordinem præſidiorum, quia prius vniuerſum corpus purgandum; deinde parti

læſæ

læſæ remedia admouenda; tamen ea certa loca non docet humores coctos fuiſſe ab eo euacuatos, ſed crudos; nam illos affectus docet ab humoribus naſci crudis, hoc eſt vitioſis, à quibus corpus liberandum eſt, ne particulare membri vitium augeatur, vt concludendum ſit, denique falsò dictum eſſe humores coctos euacuari, mouerique debere.

De Interpunctis, μὴ, & alijs.

His autem adductis rationibus aliqui admirabili methatheſi, hunc Aphoriſmum interpretati ſunt, interpuncto, quod eſt ante illã negationis notã. μὴ translato poſt eãdem inter μὴ,& ἄμα, vt idcirco adiũgatur præcedentibus, & vertatur concocta medicare, & mouere non, ideſt ne medicato, neque moueto cocta, quaſi iterum ludere Hyppocrat. voluerit illius more oraculi, à quo reſponſum ferunt, Ibis redibis non morieris; cum incertum reliquerit, vti verbo præcedenti: an ſequenti negans aduerbium iungi deberet, hoc nuſquam alibi factum ab Hyppocrate, neque hoc loco factum veriſimile eſt. Itaque alij cum omninò vellent hunc Aphoriſmum interpretari, ex dictis à Galeno vacuandos humores in concoctione relictos, qui concoqui non potuere perſuaſerunt ſibi nomen hoc concocta eſſe ablatiuum abſolutum,

 cuius

cuius ſenſus ille ſit, poſtquam concocta materia fuerit, tunc medicato, & moueto, ſcilicet neſcij græcum πέπονα, eſſe, vel rectum caſum, vel quartum numeri pluralis; & ideò ſenſum eiuſmodi non admittere; ſed hi quoque negant contra Galeni, & Hyppocratis placita, cruda in principijs mouenda; ergò ſi de humoribus concoctis, & crudis educendis, vel non educendis medicamento locutum Hyppocratem putamus, obſcuriſſimum præceptum, & inexplicabile in hoc Aphoriſmo continetur: cui plura aduerſantur, quæ cum eo conciliari non poſſunt. Si verò non eſt de humoribus ſermo, vanum eſt, & alienum, quod aliqui putant idoneum tempus purgationibus eſſe morbi incrementum, in quo apparent rudimenta concoctionis, quæ nulla eſt in principio; in vigore autem quieſcere, & in declinatione mouere, ſuperuacaneum eſſe; hoc vanum eſt, quoniam humorum cruditas non prohibet per initia morborum purgationem. Vanaque eſt aſſertio, In morborum principijs purgandum non eſſe ob cruditatem humorum, quoniam huius Aphoriſmi documentum; quo ea nititur aſſertio; ad humorum concoctionem non pertinet. Sed & illud ſuſpectum videri debet, quod ex Aphoriſmo accipiunt, principium exiſtere, quando crudus morbus eſt, eo quod in eo ſcriptum ſit, non cruda, neque in principijs;

Principium morbi non circumſcribitur cruditate.

cipijs; & ideò finiri principium, quando notæ concoctionis aliquæ apparent, vt legitur apud Galenum libro primo de criſ. cap. 8. & 9. Hoc enim fieret, ſi illud, neque in principijs dictũ eſſet, quaſi cõſequens illud, non cruda; ſi videlicet dictũ eſſet, non cruda; ergò nõ in principijs; ſed eſt dictũ neq. in principijs, cum illa nota coniunctionis, neque μηδὲ.

Non ſequelam, & neceſſariam coniunctionem; ſed ſolum coniunctionem, quæ poſſit eſſe, rerum natura ſeparatarum: atque indicat, cruda poſſe eſſe extra principium; alioqui fruſtra adiunctum hoc eſſet, neque in principijs, quod ſi cruda hæc ſunt extra quoque principium, concocta neceſſario, de quibus in Aphoriſmo erunt quoque in principio concocta: itaque tantum abeſt, vt ex hoc loco accipi poſſit principium eſſe, quando crudus eſt morbus; & idcircò in principio non eſſe mouendum, vt potius doceamur, in principio maxime mouendum eſſe: nam idcircò dixit cruda neque in principio mouẽda, quia illud eſt ad mouendum tempus aptiſſimum. Quod verò principium ex Hyppocratis ſententia concoctionis ſignis non terminetur, non eſt docere difficile. Signa enim concoctionis, Galeno ſunt, lotium, deiectiones, ſputa. Sed conſtat, omnia hæc in principijs, ſæpe eiuſmodi apparere, vt doceant, in principijs fieri concoctionem; Galenus

Signa concoctionis in principio.

lib. 1. de criſ. cap. 7. ex 2. prognoſt. Hyppoc. t. 13. ait, alui excrementa concoctionem, quæ in victu fit, indicare, cum ſanorum excrementis ſimilia fuerint. Sed eiuſmodi per initia ſæpè apparere multis obſeruationibus compertum habemus, & habetur in 3. lib. epid. ægrot. 3. cui, inquit Hyppocr. ſecunda die ſtercora probe prodierunt. Lotium quoque ſæpe probum in principio apparet, quod Hyppocrat. tam diſerte affirmauit, vt pluribus opus non ſit ad hoc docendum, 2. prognoſt. 26. cum dicat optimam (vt Galenus interpretatus eſt) quandoque vrinam in toto morbi decurſu apparere, ergo & in principio: ſed & ſæpe in pleuriticis initio ſputa bene habent, atque adeò in principio concoctionem ſignificant. Occurrat autem aliquis, & dicet; ſi ſtatim in prima die appareat aliquod ſignum concoctionis iam tunc principium tranſgreſſum eſſe, vt Galenus docet lib. 1. de criſ. capit. 17. Sed hoc ita concedemus: ſi reliqua in ægris reſpondeant, ſi videlicet eadem excrementa, quæ primum concocta apparuerunt, cruda deinceps non compareant, vt reliqua ſymptomata non fiant deteriora; quamobrem dicendum ſit, tunc principium determinatum eſſe ſignis concoctionis, potius euomeſcentibus, quàm apparentibus: ſæpius enim excrementa ab eorum natura diſtantia morborũ incremen-

tum ſi-

tũ ſignificant: quapropter Cor. Celſus lib. 3. cap. 2. ſcripſit, ex indicijs morbi increſcentis hoc eſſe, videlicet deteriorem concoctionem; at ea non alio cognoſci poteſt, quam ipſorum concoctione excrementorũ. Sæpiſſime verò obſeruauimus, primis diebus excrementa bene habere; deinde ad contrarium verti, & cætera fieri deteriora: & in hiſtor. epid. sũt aliquot huiuſmodi caſus: vt etiã ſunt, qui docent, excremẽta male habere in princi pio; deinde ad melius conuerti. Atq. ideò illa docent initio concoctionem aliquã, cui morbo creſcente cruditas ſuccedit, nec còntra cruditatẽ initio fuiſſe, cui concoctio ſuccedit; dit: itaque in principio aliàs concoctionem, aliàs cruditatem extare, atque ita in augmẽto, & hæc tempora non diſtingui notis concoctionis, & cruditatis; ſed paruitate, & magnitudine ſymptomatum. Quid vbi è cõtrario vrinæ ſemper ſunt malæ? num is in principio ſemper morbus fuiſſe dicendus, vt in 3. Epid. ſect. 3. ægro. 1. qui die centeſima viceſima mortuus eſt? hoc dici non poteſt, quia ſæpe ſolutus eſt morbus, & recidiua ſæpius facta; nempe die viceſima, triceſimaquarta, & quadrageſima; quamobrem oportuit eſſe, & incrementa, & vigores, & declinationes; ergo non ſemper in principio, tamen ſigna concoctionis febrium propria (obſeruantur autem hæc in vrinis, Galeno

auctore, lib. 1. de criſ. cap. 2.) nunquam fuere, quibus principium à ſequentibus temporibus ſecerneretur. Cui ſimilis hiſtoria eſt ægr. 2. erat ſcilicet mulier, quæ à partu febrijt, & mortua eſt die octogeſima, & ſoluta fuit febris die viceſima ſeptima, quæ poſtea reuerſa eſt: Vrinas verò minxit perpetuò nigras, tenues, aquoſas. Contra verò 1. epidem. ſect. 7. ægrot. 7. Meton die quinta iudicatus, & quidem abſque recidiua vrinas tenues, ſubnigras ſemper minxit; An ergo dicemus in principio morbi criſim factam (liberatus enim eſt ſudore à fluxu ſanguinis de naribus die quinta) & in principio morbum ſolutũ? at qui Galenus docuit morbos ſalubres quatuor illa tempora omnia neceſſario percurrere; in hoc igitur, quia vrinæ ſemper malæ tempora definita oportuit alijs ſignis, quàm concoctionis. Illud eſt rebus magis conſentaneum, & Hyppocratis conſilio ſigna concoctionis potius iudicationes morbi, quàm incrementum, indicare, iuxta illud, cuius antea meminimus. Concoctio criſis celeritatem, & ſecuritatem ſignificat. Itaque mirum non eſt Galenum quoque nonnunquam præteritis concoctionis notis de morborum principio decreuiſſe, vt cum loquitur de febre hectica, lib. 1. de differ. febr. cap. 7. Cuius principium non dixit concoctionis notis, aut dierum numero

deter-

determinari: ſed affectionis qualitate, cum videlicet natiuus cordis humor efferueſcit, ſolum non autem aboletur, atque virtus non plurimum laborat, & inferius alter inquit, cuiuſdã veluti ipſius augmenti, atque integræ perfectionis terminus eſt tertiæ diei acceſſio; ſi enim neque altera acceſſio ſuperuenerit, neque ægrotus ſine febre fuerit adaucta; inſuper ſiccitate, hic proculdubio hectica febre laborat, quæ progreſſu temporis cito ad tabidem conuertetur; niſi bene curetur in his ſignorum concoctionis nulla mentio, quibus diſtingueret illius febris initium ab augmento. Hactenus ſatis ſuperque demonſtratum arbitror, non eſſe humores, vt neque excrementa, quæ Hyppocrates in hoc Aphoriſmo vocat matura, & cruda.

Matura non eſt dictum de hominibus.

Sed neque ſunt homines, quoniam neque de ætate, neque de moribus illorum dicendum hoc loco fuit, vbi agitur de purgatione. Verum eſt crudum à Latinis vocari, qui non dum cibos concoxit, & concoctionem hanc obſeruandam in purgationibus, & venæ ſectione ab Auctoribus vetuſtis proditum eſſe, nam Cor. Celſ. lib. 2. cap. 11. Cauendum dixit, ne medicamentum offeratur vlla cruditate ſubſtante, quod Hyppocrat. quoque obſeruandum nouerat. 4. acut. 36. & 37. & lib. eiuſdem cap. 9. Celſus dixerat minime crudo ſanguinem mittendũ, quod & Galenus

ſubſcripſit 9. met. cap. 9. & lib. 11. cap. 14. & de cur. rat. pro venæ ſect. cap. 20. & Auicen. 4. primi, cap. 20. vera, inquam hæc ſunt, ſed Aphoriſmi verbis non quadrant; nam & ſi Latini crudos vocant illos, qui nondum concoxerunt; tamen non etiã illos, qui concoxerunt, vocant cõcoctos; ſed Græci, nec illos, qui concoxerunt concoctos, ideſt πέπονα, nec illos, qui non concoxerunt crudos, ideſt, ὠμὰ, appellant, quæ actiua eſt, vt ita dicám nuncupatio; ſed e contrario paſſiue. ὠμὰ, vocant ea, quæ concoqui non poſſunt, eſuiq́ue idonea non ſunt, vt Theophraſtus 4. de cauſ. c. 4. vbi pro ſynonimis accipit ὠμὸν, & ἄτροφον. Itaque nec de hominibus accipimus hoc loco πέπονα, & ὠμὰ.

Determinat. quæſtionis. Reliquum eſt igitur, vt de morbis ipſis accipiat, quos tranſlate maturos, & crudos ab Hyppocrate vocatos ante oſtendimus; ſed cum ea tranſlatio, nonnunquam ætatem, nõnunquam mores ſignificet ſcire eſt de ætate hoc loco ſit ſermo eaſdem penitus quæſtiones emergere, quas antea de humoribus agendo expoſuimus, & magnas arti medicæ tenebras effundi, inde enim efficeretur non eſſe mouendum in principijs morborum, quia tunc cruditas viget, quo nullum eſt perniciosius documentum, neque ab Hyppocratis conſilio magis alienum; ſi verò maturitatem, quæ ad mores pertinet acceperimus conſen-

Maturitas duplex.

tanea

tanea omnia reperiemus, documentumque ſaluberrimum, cui nihil dictorum aduerſetur, ſed conſentiant omnia.

Morbi alij crudi, alij maturi, alij medij.

Itaque morborum, alios crudos, alios maturos, & alios quoque inter hæc duo genera, tanquam contraria medios eſſe intelligimus, cumque maturi, & crudi ſint contrarij, ita maturos accipimus, vt nunquam natura ſint crudi, & crudos, vt nunquam maturi, atque vt ambo ſint in omni tempore tales, quod Hyppocrates indicauit, inquiens non cruda, neque in principijs, quæ verba manifeſte ſignificant, cruda eſſe extra quoque principia; alias temere adiunctum eſſet, neque in principijs; nam ſi ætatem reſpicimus morbi crudi ſunt maxime in principio; itaque non fuit ſtudioſus de eo admonendus, quod erat maniſeſtiſſimum; ſed hoc dixit, quoniam morbi crudi, ſemper ſunt crudi, vt contrarij ſemper ſunt maturi; vt igitur homines dicti maturi ſunt à Græcis ob facilitatem, quę ætatem illorum omnem ſequatur, ita morbi nonnulli ſunt ea facilitate, & benignitate, vt nullo tempore periculum ægris minentur, & naturam habeant; adeò ſequacem, vt remedijs omnis generis cedere videantur. Contra ſunt alij, moroſis, & difficilibus ſimiles viris, *Morbi maturi, crudi, & medij.*

qui

ſubſcripſit 9. met. cap. 9. & lib. 11. cap. 14. & de cur. rat. pro venæ ſect. cap. 20. & Auicen. 4. primi, cap. 20. vera, inquam hæc ſunt, ſed Aphoriſmi verbis non quadrant; nam & ſi Latini crudos vocant illos, qui nondum concoxerunt; tamen non etiã illos, qui concoxerunt, vocant cõcoctos; ſed Græci, nec illos, qui concoxerunt concoctos, ideſt πέπονα, nec illos, qui non concoxerunt crudos, ideſt, ὠμὰ, appellant, quæ actiua eſt, vt ita dicam nuncupatio; ſed e contrario paſſiue. ὠμὰ, vocant ea, quæ concoqui non poſſunt, eſuique idonea non ſunt, vt Theophraſtus 4. de cauſ. c. 4. vbi pro ſynonimis accipit ὠμὸν, & ἄπεπτον. Itaque nec de hominibus accipimus hoc loco πέπονα, & ὠμὰ.

Determinat. quæſtionis. Reliquum eſt igitur, vt de morbis ipſis accipiat, quos tranſlate maturos, & crudos ab Hyppocrate vocatos ante oſtendimus; ſed cum ea tranſlatio, nonnunquam ætatem, nõnunquam mores ſignificet ſcire eſt de ætate *Maturitas duplex.* hoc loco ſit ſermo eaſdem penitus quæſtiones emergere, quas antea de humoribus agendo expoſuimus, & magnas arti medicæ tenebras effundi, inde enim efficeretur non eſſe mouendum in principijs morborum, quia tunc cruditas viget, quo nullum eſt perniciosius documentum, neque ab Hyppocratis conſilio magis alienum; ſi verò maturitatem, quæ ad mores pertinet acceperimus conſentanea

tanea omnia reperiemus, documentumque ſaluberrimum, cui nihil dictorum aduerſetur, ſed conſentiant omnia.

Morbi alij crudi, alij maturi, alij medij.

Itaque morborum, alios crudos, alios maturos, & alios quoque inter hæc duo genera, tanquam contraria medios eſſe intelligimus, cumque maturi, & crudi ſint contrarij, ita maturos accipimus, vt nunquam natura ſint crudi, & crudos, vt nunquam maturi, atque vt ambo ſint in omni tempore tales, quod Hyppocrates indicauit, inquiens non cruda, neque in principijs, quæ verba manifeſte ſignificant, cruda eſſe extra quoque principia, aliàs temere adiunctum eſſet, neque in principijs; nam ſi ætatem reſpicimus morbi crudi ſunt maxime in principio; itaque non fuit ſtudioſus de eo admonendus, quod erat manifeſtiſſimum; ſed hoc dixit, quoniam morbi crudi, ſemper ſunt crudi, vt contrarij ſemper ſunt maturi; vt igitur homines dicti maturi ſunt à Græcis ob facilitatem, quę ætatem illorum omnem ſequatur, ita morbi nonnulli ſunt ea facilitate, & benignitate, vt nullo tempore periculum ægris minentur, & naturam habeant; adeò ſequacem, vt remedijs omnis generis cedere videantur. Contra ſunt alij, moroſis, & difficilibus ſimiles viris, *Morbi maturi, crudi, & medij.*

qui

qui neque ſanari poſſunt, neque remedijs vllis vnquam miteſcunt, quinimmò exacerbantur, & ſe tangi non permittunt. Prioris generis ſunt gr. ex. Tertiana exquiſita, Ephemera, & illæ febres, de quibus Hyppocrates loquitur lib. prognoſt. 3. inquiens, ſaluberrimæ febres, quæ tutiſſimis fulciuntur ſignis, die quarto quieſcunt: Hoc morbi genus admittit omne remedij; item genus, quamobrem vel imperitus, & idiota poteſt bonus Medicus videri de hoc genere infinite, & promiſcue dixit Hyppocrates, medicare, & mouere, nec quo tempore hæc facienda dixere; ſed arbitrio Medici rem totam reliquit: ſane alibi generatim docuit, inchoantibus morbis mouendum; ſed hoc loco præceptum illud non adeò magni æſtimauit ob morbi generis, de quo loquitur, facilitatem, quamobrem vel extra principium liceat abſque periculo mouere; quod indicant ſequentia, non cruda, neque in principijs; non fuit enim hoc addendum, ſi matura ſint in principijs tantum mouenda, vt omnes morbi. Cur enim in crudis etiam principium cauendum, quoniam etſi principium eſt mouendis morbis aptiſſimum, tamen maturos licet vel extra principia, crudos verò neque in principijs. Sunt autem crudi, qui è contrario difficillimi ſunt, & remedijs non miteſcunt: cuiuſmodi cancer eſt, de quo Hyppocr. 6. Aphor. 68.

præſtat

præſtat non curare, vt diutius viuant; etenim remedijs non obedit, ſed fere inſtar curationibus irritatur, vt ait Cor. Celſ. libr. 5. cap. 28. eiuſmodi phthiſis eſt aqua inter cutem cerebri, hepatis, aliarum quarundam partium vulnera, & febres illæ, de quibus Hyppocrates in 3. prognoſt. quas dicit peſſimas, & ſignis adiunctas periculoſiſſimis, & quarto die interimere, atq. tumores crudos quales vocari ſcirrhij, quia inconcoctibiles ſunt, crudos, vt ante dixi, appellauit 5. Aphoriſ. 67. Inter maturos autem, & crudos medij ſunt multi, qui hoc maturitatis genus aliàs habent, aliàs minime, cuiuſmodi ſunt acuti omnes, quos tamen peſſima ſigna, quæ de peſſimis febribus Hyppocrates dicebat, non comitantur, & hos quoque dubios vocauit, lib. 1. de morb. de quibus etiam dictum eſt in 2. Aphoriſm. 19. Morborum acutorum non ſunt omninò certæ pronunciationes, &c. quod dubia eorum natura demonſtrat. Sunt autem maturi ætate in fine, & crudi in principio, ſed benignitate in principio, & fine maturi ſunt crudi in vigore, iuxta illud 2. Aphoriſm. 30. circa initia, & fines omnia imbecilliora, in vigore autem fortiora. Itaque vt dicitur in eiuſdem ſect. Aphoriſm. 29. mouendum eſt in principijs, in vigore autem Satius eſt quieſcere, in hoc genere mouendū eſt, ſed non promiſcue omni tempore. In

primo

primo genere licet mouere omni tempore, in altero nunquam licet. De primo genere Hyppocrates lib. de veter. med. ea pixit, multos, & malos Medicos, cum curant homines, nihil graue patientes; licet maxime delinquant, nihil graue faciunt, ſunt enim multi eiuſmodi morbi, quorum facilitas errores Medicorum occultat, patiunturque Medici eadem, quæ mali Gubernatores, qui in tranquillitate gubernantes delinquunt; non enim fiunt illorum delicta manifeſta; vti cum ventus, & tempeſtas, inquit; tunc enim apparet ob illorum delicta naufragium contingere, atque huic ſimile ijdem mali Medici patiuntur, cum in magnum, fortem, periculoſumque morbum inciderint; tunc enim errores illorum in conſpicuo ponuntur, hæc Hyppocrates eo loco dicebat, quæ pertinent ad morbos, tum crudos, tum dubios, quos modo dicebam.

De conſilio Hyppocratis, & connexione.

His hunc in modum explicatis non eſt difficile conſilium Hyppocratis, & connexum huius Aphoriſmi cum præcedentibus intelligere, namque ſuſcepta prouincia docendi rectam rationem curandi per ea, quæ præſertim euacuant; docuit primo habendam eſſe rationem temporis morbi; de qua in Aphoriſmo

riſmo 20. Item habendam rationem locorũ, per quos euacuandum eſt, de qua re in Aphoriſmo 21. Eſt præter habendam rationem morum in ipſis morbis, de quibus agitur in hoc Aphoriſmo. Cumque mores ſint, vel benigni, vel maligni benignis moribus præditos dixit maturos; malignos autem crudos. Dixit ergo de maturis medicare, quod non eſt accipiendum de ſolis purgantibus per inferiora, & lenientibus; ſed etiam de fortibus, & de his, quæ per ſuperiora: immò maxime fortia initio ſunt adhibenda, vt declaratur ad ſecundam ſectionem, Aphoriſm. 29. Neque occurrendum eſt, quoniam concocta ſunt medicanda non cruda; in initio autem non eſſe concocta; nam declarauimus non eſſe ſermonem Hyppocrati de humorum concoctione, & de morborum maturitate, quæ ad mores pertinet, quæ maxime viget in principio, poſſumus quoque intelligere. Dictum medicare de lotium cientibus, de menſes mouentibus, & ſudores, de pituitam ad os, & nares euocantibus, ſed maxime dictum accipio de ijs, quæ proprie purgantia vocantur.

Subiungit autem & mouere, vt præceptũ amplificet, & ſciamus eadem poſſe Medicum vti licentia in ſanguine præſertim miſſione, & per venæ ſectionem, & per hyrundines, & cucurbitulas, & demum licere omnia exercere Me-

re Medici munera, quibus nihil benigna horum morborum natura repugnat. Quandò verò mouere liceat, non expreſſit, ſed in ſequentibus indicauit, vt ante quoq. dixi præceptum eſt generale per initia mouendum, ſed tanta eſt horum morborum facilitas, vt abſque periculo extra quoque principia mouere liceat, neque peccatur grauiter (& ſi videatur contra præceptum illud generale moueri) quoniam morbi maturi ſunt. Non cruda, ideſt morbos crudos quales expoſui mouere non expedit; quando autem mouendi ſunt? nunquam etenim, neque in principijs, nam principium eſt aptiſſimum, quod ſi non expedit in principio longo minus in alijs temporibus expediet, quo docemur cōtrariam eſſe morborum rationem, quos citra vllam temporis diſtintionem dixit medicandos, & mouendos, quoniam ſcilicet quocunque tempore hoc licet facere. Cum verò crudos mouere non liceat, ſiue tamen eſt, hoc non eſſe perpetuum; nam ſeſe offerunt tempora, in quibus ſecus facere opus eſt, ſcilicet ſi turget, ſi ægri natura indiget, ſi euacuationem appetat; non ſi humores huc illuc ferantur: quod Hyppocrati nunquam dixit, ſed ſi aliquis impetus adſit, quo naturæ deſiderium comprehendatur, cuiuſmodi eſt nauſea, qua vomitum appetere naturam intelligimus, inanis aluum deijciendi cupiditas, cum pondere

dere

dere lumborum, & ventris murmure, quæ alui deiectionē à natura deſideria perſuadēt.

Alia de verbo Turgere.

Itaque Hyppocrates ſect. 4. lib. acut. 64. admonebat purgandum medicamētis ἢν βορβορύζῃ ἡ κοιλία, Si murmurauerint inteſtina, ſi minus inquit, abſtinendum ἢν μὴ ἀφαρμάκευτον ἦναι. Simile quoque eſt, ſi venæ ſedes tumeāt, & pruriant, hoc enim indicium eſt naturæ ſanguinem appetentis per eam partem effundere. Neque hoc vbi ſoli tenues ſucci moleſtant accipere licet; ſed etiam vbi craſſi, & promiſcue accipiendum eſt quod Hyppocrates indicauit apertiſſime, libro 1. de morbis muliebrib. Vbi de his, quæ poſt partum accidunt, diſſerit, & inquit, ſi turget pharmacum bibat, quod deorſum purget, ſiquidem biliosa fuerit, quod bilem detrahat, ſi pituitoſa quod pituitam; ergo turgere dixit, ſiue bilioſi, ſiue ſint humores pituitoſi. Et notandum præterea eſt hoc ex loco turgere, dici quoque de morbis longis; non autem de ſolis acutis; namque eo loco de acuto ſermo non erat, quod caret dubitatione. Subiungit denique plura verò non turgent, quòd ſi accipiatur vniuersè de omni morbi genere, quod videlicet rarò ægri turgent, illa poteſt eſſe ratio, ſcilicet turgere eſt quiddam, vel natu-

Turgere dictū quoque de criſis humoribus

Turgere de morbis quoq. longis dictū.

naturale, vel naturæ affine, etenim natura ſemper ſuperfluis eijciẽdis incumbit, ac quæ naturalia ſunt ſanis potiſſimum eueniunt ægris contraria naturæ contingunt cum laborent effectibus præter naturam, quos ea quoque ſymptomata ſequuntur, quæ ſunt aliena, & præter naturam: ergo turgere rarò ægrotis contingit ſi vniuersè loquamur; ſed fortaſſe ſi Hyppocrates de his ſolum dixit, de quibus loquitur, quorum occaſione incidit in menſionem turgeſcentiæ, qui ſunt morbi, quos crudos vocauit, qui vt noſtra crudi ſunt, ita rarum eſt, vt habeant hoc indicium naturæ ad euacuationem propenſæ. Non dicitur autem niſi turgeat, ob id, quod dictum eſt in principijs quaſi turgere per initia eueniat, ſed accipiendum vniuersè, namque & extra principium, & in omni morbi genere ſi turget medicamentum offerendum eſt, vel quæcumque alia natura appetat adminiſtranda, quod apparet ex locis alijs alibi memoratis, in quibus Hyppocrates idem vocabulum vſurpauit, cum neque de crudo ſpeciatim morbo, neque de principio locutus ſit, neque de purgatione, ſed infinitè, & promiſcuè, de omni morbo, & morbi tempore, hoc accipi poſſe indicauerit: dixit enim libro ſecundo de morb. agens de vua gurgulionem non turgentem ſecundam non eſſe: item 3. de fracturis 18. vſurpauit hoc

de af-

de affectu, in quo ita turget, vt ſola naturæ appetentia ad vacuandum oſtendatur, non autem ad aliquam vacuationem moliendam Medicus imitetur; dicebat enim ſignum eſſe futuri abſceſſus oſſis, pus crebro fluens ex vlcere: Quamobrem turgere videatur πύον γὰρ ῥεῖ ἐκ τοῦ ἕλκεος καὶ ὀργᾶν φαίνεται. Videtur turgere, ideſt appetere exitum, quod non eſt dictum, quia Medicus imitetur ad vacuandum cum ſponte factam dicat vacuationem, nēpè pus fluere ex vlcere. Itaq. aberrant quoque Interpretes, dū putant, quod ait Hyppocrates turgere indicium eſſe opportunitatis dandi pharmacum, quo venter deturbetur, cum tam latè pateat, vt in ſecundis tumoribus doceat Hyppocrates obſeruandum ſi turgent: & Ariſtot. in ſternutamento, vt ex dictis antea manifeſtum eſt.

An liceat vti medicamentis per initia morborum lenientibus, & euacuantibus.

Si ergo quæratur vtrum liceat initio morborum cum humores crudi ſunt vti purgantibus medicamentis ſtatuendum hoc maximè licere, quod proditum eſt 2. Aphor. 29. & huius ſect. 24. Et intelligitur quoque ex verbis huius Aphoriſmi, quæ antea perpendebam. Neque in principijs, nec repugnat ſententia præſentis Aphoriſmi concocta medica-

dicare (affero vulgata verba, cum dicendum ſit matura) quoniam ſermo non eſt Hyppocr. de humoribus, vel crudis, vel coctis; ſed de morbis, & eorum benignitate, & prauitate ſub nomine maturitatis, & cruditatis, & vtẽdum ijs medicamentis, quæ ſint conſentanea morbis ipſis, & ægrotanrium corporibus, & inanis eſt diſtinctio medicamenti lenientis, & violenter ducentis, non quia non ſint hæ medicamentorum differentiæ obſeruandæ; ſed quia vt initijs morborum offeratur, nihil refert cuius ſint generis medicamenta: namque Hyppocr. in pleur. 4. die Veratrum nigrum, aut peplium præbendum ſcripſit 2. & 4. de victu acut. quæ res eſt maximè euentis conſentanea, etenim conſtat magno ęgrorum fructu purgationes initio adhiberi, & nõ abſque culpa in aliud tempus differri, dũmodo morbi natura purgationem requirat.

Cur (ergo Hyppoc. lib. de medic. purgan. ſi tamen lib. Hyppocr. eſt, cuius exemplar græcum non vidimus, nec extare ſcimus) differt purgationem hanc in tempus, quo febris remiſſa eſt? An non expectandam concoctionem eo documẽto nos monuit? Nequaquam diſtulit, quia febris vehemens, ideſt acuta genus hoc remedij refugit, & quo maxime tempore medicamentum dari debet, initio ſcilicet dandum negauit ob febris vehementiam, quæ ſtatim apparuit, vt intelligitur ex

illis

illis verbis, febris fortis corripit. Sed dubitatur adhuc, quia 4. acut. 20. Hyppocr. ait inflammationibus per initia non eſſe vtendum medicamẽtis φαρμάκιον, nãq. eo affectus, quia crudus, non remittit, at cruditas ea ſi ætatis eſt, falſa ſententia eſt, vt ex dictis accipitur; etenim maximè mouendum morbis incipientibus 2. Aphor. 29. si verò eſt cruditas morum. Cur dixit ſanguinem mittendum prius, deinde, & pharmacum exhibendum, cum interim de turgeſcentia nihil omninò dixerit? & in morbo crudo ſecundum mores non ſit mouendum, niſi turgeat.

Scire igitur licet morbos dubios eſſe quoſdam, vt dictum eſt, quorum media eſt inter maturos, & crudos natura, qui non ſolum maturi, & crudi ſunt dicendi ob temporum morbi diuerſitatem, quia per initia, & fines maturos diximus; ſed etiam comparatione remediorum, in quibus, & generis, & ordinis ratio habenda eſt. Itaque inflammationum quædam ſolum venæ ſectionem poſtulãt purgantibus verò exacerbantur, hæc crudæ ſunt comparatione purgationis, quædam verò admittunt etiam purgationem, ſed non ante, verum poſt venæ ſectionem, & hæ crudæ dicuntur, quia inuerſo remediorum ordine exacerbantur, aut ſaltem nòn remittunt. De vtroque autem genere Hyppocr. eo loco verba facit; nam ſi morbus ſit magnus, &

fortis à ſanguinis miſſione purgationem dãnat;& hoc eſt genus alterũ vti ſola eſt ſalutaris miſſio sãguinis recipit autẽ ſi minor morbus ſit,quod eſt alterũ,cui cõgrua eſt poſt venæ ſectionẽ purgatio. De primo autem genere rurſus loquitur in ſequentibus, inquiens, qui inflammatas partes initio ſtatim ſoluere tentant medicamẽtis, ij ab inflammata parte nihil auferunt; affectus verò, vtpotè crudus non remittitur, hæc ibi dicit; ergo affectum crudum comparatione remediorum, quia purgatio non ei congrua eſt, aut non niſi poſt ſanguinem miſſum. Hæc quoque docent morborum tẽpora non diſcerni coctionis ſignis, & cruditatis, quæ in humoribus eſſe debeat, & cum ex eo concocta medicare concluditur; ergò non in principijs falſum concluditur; quoniã illa maturitas adeſt maximè in principio, vt etiam in fine, & illud ſanè videtur ineptũ, lotium obſeruare ad intelligendum ex ſigno coctionis, quod in lotio apparet, morbi adeſſe incrementum, cum res è contrario, ſe habeat, namque cruditas in lotio ſymptoma eſt, quo morbus creſcere intelligitur,ſi videlicet initio nõ extitit.Certè quod ait Celſ. lib. 3. cap, 2. Rationi conſentaneum eſt, maximè morbum increſcere, cũ deterior cõcoctio eſt,cũ fędiores deiectiones, &c. Tantũ abeſt, vt ille crediderit notas concoctionis augmentũ morbi demonſtrare.

Vana

Vana itaque multa, & inutilia, & noxia, recepta in Schola Medica sũt ob huius Aphoriſmi obſcuritatem, à quibus liberat nos, interpretatio noſtra; eademque relinquit nobis magnam artis Medicæ partem facilem, apertam, rebus congruentem, quam reddit vulgata Veterum interpretatio difficilem, obſcuram inexplicitam, & à rebus, & euentis alieniſſimam. Reliqua nonnulla hic ſpectantia ed ſecundam ſect. aphoriſm.29. explicata ſunt, quæ ſtudioſus Lector poterit ſuo arbitratu modo dictis adiungere.

Finis Aphoriſmi xxij.

 D. O. M.

Digitized by Google

D. O. M.

ANTONIO MARIÆ SALVIATO
CARDINALI,
VIRO CVM DIGNITATE, TVM
DOMESTICA NOBILITATE,
ET OMNI VIRTVTVM GENERE
CLARISSIMO,
ET PATRONO MERITISS.

MARSILIVS CAGNATVS,
EXIGVVM GRATI ANIMI
MONVMENTVM
D. D. D.

MAR-

Digitized by Google

MARSILII CAGNATI

Viri celeberrimi.

IN HYPPOCRATIS APHORISMVM XXIV.

Secundæ Sectionis.

COMMENTARIVS.

PRouidentiam Medico neceſſariam eſſe, notiſſimum eſt: propterea Hyppocrates multis eſt voluminibus notas perſecutus, quibus de ægrotantibus aut ſpem, aut timorem concipere debemus. Quamobrem cum Aphoriſmus ſæcundæ Sectionis viceſimus quartus ad eamdem medicinæ partem pertineat, & magnum ad prædicendi rationem aditum aperiat; ſumma ope niti decet, vt probè illius ſenſum, auctoriſque conſilium aſſequamur. Itaque hunc explicaturus primum varias

eiuſdem verſiones, & illas quidem vetuſtiores, proponere in animum induxi, vt, quas afferre poteſt lectionis varietas, difficultates, commodius Lector percipere valeat: tres verò ſatis ſuperque fore exiſtimaui: licet enim tot ferè exiſtant, quot hucuſque auctores Aphoriſmos interpretati ſunt, nihilominus tamen ab his, quas proponimus verbis potius, & dicendi forma, quam ſententia differunt.

APHORISMVS XXIV.

SECTIONIS II.

Τῶν ἑπτὰ ἡ τετάρτη ἐπίδηλος, ἑτέρης ἑβδομάδος ἡ ὀγδόη ἀρχή. Θεωρητὴ δὲ ἡ ἑνδεκάτη, αὕτη γάρ ἐστι τετάρτη τῆς ἑτέρης ἑβδομάδος. Θεωρητὴ δὲ πάλιν ἡ ἑπτακαιδεκάτη, αὕτη γάρ ἐστι τετάρτη μὲν ἀπὸ τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης, ἑβδόμη δὲ ἀπὸ τῆς ἑνδεκάτης.

Antiqua verſio.

Septimæ quarta eſt indicatiua, & alterius hebdomadæ octaua principium. Contemplaria verò vndecima: hæc enim eſt quarta ſecundæ hebdomadæ. Contemplaria verò rurſus ſeptima decima; hæc eſt enim quarta à

ta à quartadecima; ſeptima verò ab vndecima.

Theodori Gazæ verſio.

Dies quartus ſeptimi index eſt. Octauus principium alterius ſeptimanæ exorditur. Vndecimus etiam conſiderandus eſt: quartus enim ſecundi ſeptenarij eſt. Item decimus ſeptimus conſiderãdus eſt: quartus enim à quartodecimo, & ſeptimus ab vndecimo eſt.

Nicolai Leoniceni verſio.

Septenorum quartus eſt index, alterius ſeptimanæ octauus principium. Eſt autem, & vndecimus contemplabilis: ipſe enim quartus eſt alterius ſeptimanæ. Rurſus verò, & decimus ſeptimus contemplabilis: ipſe ſiquidem quartus eſt à quarto decimo, ſeptimus verò ab vndecimo.

Vt igitur perſpicuè magis de huius Aphoriſmi ſententia differamus, de dierum in morbis obſeruatione præfati quædam oportet. *Hyppocr. accuſatio, & defenſio.*

In primiſque diluenda eſt vetus dubitatio, cuius mentionem Celſus fecit libri tertij capite quarto: nam cum dies impares potiſſimum ab antiquis notatos affirmet, primo negabant aliqui, vt Aſclepiades, in vllo die, quia, par, imparvè eſſet, maius, minuſvè periculum eſſe: nam interdũ pares dies imparibus

bus peiores fiunt, & quartuſdecimus par eſt, etſi illum valde Hyppocrates obſeruaret. Deinde obijciebant ei inconſtantiam, & leuitatem: nam ſi dies impares tanti faciendi fuere, cum octauum primi naturam habere dixerit (etenim hoc ipſo Aphoriſmo aſſerit, octauum alterius hebdomadæ principium eſſe) nonne ſibi repugnat, qui decimum, & duodecimum negligit, quaſi pares, cum tamen decimus ſit tertius ab octauo,& duodecimus ſit ab eodem quintus:atque ideò vterque impar habendus, aut negandum,in octauo primi naturam ineſſe? Dicebant etiam Hyppocratem ſine probabili ratione ab vndecimo tranſire ad quartum decimum: quia ſi nouum, & vndecimum vt impares æſtimabant, ad tertium decimum, qui ſimiliter impar eſt, tranſeundum fuit, non ad quartumdecimum. His autem reprenſionibus ſubiungit Celſus,quam putat erroris cauſſam exſtitiſſem, ſcilicet,antiquos, etſi admodum celebres viros,à Pythagoricis numeris fuiſſe deceptos, hæc obijciebantur.

Sed non eſt mirum, Aſclepiadem ex orandi magiſtro ad medicinam repentè conuerſum, & verborum artificio longè magis, quam medendi ſcientia, præſtantem, tum hæc, tum alia plura ignoraſſe. Ipſum magis Celſum admiror, alioqui non minus diligentem, quam elegantem Hyppocratis interpretem,

pretem, argumento tam leui,ac inani Aſclepiadis temeritatem Hyppocratis grauitati, atque peritiæ prætuliſſe.

Erratum eſt igitur ab ijs, qui Hyppocratem reprehenderunt, quod conſilium illius ignorarunt penitus, nec artis inueniendæ, & de inuentis iudicandi, rationem nouerunt: experientiam, inquam, ignorarunt, artium principia, & fundamenta conſtituere, eoque decepti maximè ſunt, quod ſolius ope rationis, citra experientiæ adminiculum, ſe de ijs rebus poſſe cognoſcere, & ſtatuere crediderunt, quæ res ſolis in medicina facienda maximè verſatis innoteſcere valent. Non eſt Hyppocrates Pythagoræ numeros (vt illi commenti ſunt) ſecutus: ſed naturæ obſeruator diligens fuit: quam ſtatos terminos,& ſtata tempora rebus omnibus conſtituiſſe, certiſſimum eſt: quos terminos, quævè tempora, ſola nos obſeruatione cognoſcere valemus.

Naturæ autem modos Hyppocrates contemplatus, alibi pares dies ab imparibus ſegregauit, vt libri primi Epidemion, ſectione tertia. Alibi miſcuit, vt hoc Aphoriſmo, & quartæ ſectionis triceſimoſexto. Et ob eãdem cauſſam optimè nouit pares, interdum eſſe, (vt obijcitur) paribus deteriores, neque pugnat ſecum ipſe,quia alibi dixerit,impares dies maximè cauendos, nam, cum *4. acut. 56.*

ait

ait maxime, hac comparationis nota, locum aliquem paribus manifeſte, ſed in obſeruandis naturæ modis diligentia; quamobrem illi naturam ipſam accuſant, cum diligentiam Hyppocratis reprehendere conantur: nec vſquam Hyppocrates dixit, octauum diem primi naturam habere, vt hinc ſequatur, decimum, & duodecimum, ab ipſo neglectos, pro imparibus habendos eſſe. Tantum dixit, octauum eſſe ſecundi ſeptenarij principium, quæ verba aliud, quam illi opinati ſunt (vt ſuo videbimus loco) ſignificant. Neque dicendum fuit, ſine probabili ratione ab vndecimo ad quartumdecimum Hyppocratem tranſgreſſum, quoniam in nulla ratione, citra experientiam, vis tanta, ineſt, quanta in ipſa, citra rationem, experientia.

Itaque Hyppocrates non ex ingenio, ſed vſu doctus variam dierum obſeruationem propoſuit: nam vt varios caſus diuerſis diebus, item eoſdem caſus non eiſdem diebus diuerſa ſignificare, vſus oſtendit. Propterea alias pares dies, alias impares, alias vna promiſcuè ambos proponit, alias de vno, alias de pluribus verba facit. Inde factum eſt etiam (vt paulatim ad id, quod propoſitum eſt, accedamus) vt quaternarios, & ſeptenarios maxime obſeruandos tradiderit: nam quæcumque ad homines naturam pertinent, illa ſeptenarijs definiri, & cõcludi animaduer-

maduerterat, vt multis ab eo proditum eſt libro de carnibus (quem de principijs inſcribendum viri quidam doctiſſimi ſtatuerunt) ex quo libro M. Varro multa deſumens librũ edidit, quem hebdomades inſcripſerat. Quod à Gellio accepimus, qui libri tertij noctium Atticarum capite decimo, illa ex Varrone retulit, quæ ex dicto Hyppocratis libro deſumpta nemo, qui loca contulerit, negandum certabit: ergo & in morbis ſeptenarios obſeruandos admonuit, & quartanarios, vt qui ſeptenariorum medietatem contineant, vt eodem libro de carnibus teſtatus eſt.

His hunc in modum explicatis, de conſilio Hyppocratis agendum eſt: & quia de re hac non vna eſt opinio, varietatis huius fundamentum primo explicandum eſt.

Dies diuiduntur in tres claſſes (vt communis medentium ſchola recepit) nam alij decretorij, ſeu iudicatorij, ſeu critici vocantur: alij indices: alij tertij generis ſunt, & appellantur intercalarij, & intercidentes: iudicatorios autem ipſe Hyppocrates ſępe memorat, & κρισίμως Græcè appellat, quorum alij pares, alij impares dicuntur, & vtriuſq. claſſis ſinguli enumerantur lib. 1. Epid. ſect. 3. licet ipſi impares iudicatorij appellationem tanquam propriam, ſibi vendicauerint: quod & Celſus teſtatus eſt eodem libri tertij, capite quarto; & Hyppocrates diſertè docuit

Die iudicatorij.

quarto

a. 4. acut. 68. quarto libro acutorum, vbi pares à iudicatorijs ita ſeiunxit, vt iudicatorij nuncupatione impares intelligendos voluerit. *Dies intercalarij.* Intercalarij vocantur, quos Hyppocrates nec inter pares, nec inter impares memorauit: pares nominat 4. 6. 10. 14. 18. 20. 24. 28. 30. 34. 40. 60. 80. 120. impares 3. 5. 7. 9. 11. 17. 21. 27. 31. Erunt igitur intercalarij reliqui omnes à primo ad triceſimumquartum, quos Hyppocrates omiſit: inter pares 2. 8. 12. 16. 22. 26. 32. inter impares 13. 15. 19. 23. 25. 29. 33. In ipſis verò iudicatorijs diebus, tum paribus, tum imparibus tertium genus notatum eſt, qui dicuntur indices, ſeu ſpectabiles, ſeu contemplatorij, ſeu (vt antiquior interpres Galeni vertit) contemplarij, de quibus poſterius plenius dicendum eſt.

Cum ergo huius Aphoriſmi documentum ad dierum obſeruationem pertineat; de quibus Hyppocrates diebus verba faciat, dubiũ eſt: nam alia Galeni, quem plerique ex poſterioribus ſecuti ſunt, alia quorundam recentiorum opinio fuit.

Etenim Ioannes Baptiſta Montanus, cui aſsentiri Franciſcus Valleſius videtur, hoc Hyppocratem Aphoriſmo ſcripſit, veros, & legitimos decretorios dies explicare, qui ſunt, ſeptimus, decimus quartus, & vigeſimus. Quos vltra licet alij dies exiſtant decretorij, tamen illi non ſunt hoc Aphoriſmo nomi-

nominatim comprehenſi, quia primis ipſius viginti diebus continentur, quorum repetitione illi oſtenduntur, qui vltra viceſimum decretorij reperiuntur; nam, gratia exempli, poſt viceſimum decretorius eſt viceſimus ſeptimus, triceſimus quartus, & quadrageſimus, qui pares videntur eſſe prioribus illis ſeptimo, quarto decimo, & viceſimo, quibus alij etiam in ſingulis vicenarijs vltra quadrageſimum reſpondere creduntur, vt ab ipſo etiam Galeno eſt notatum, & ad hunc Aphoriſmum, & libri ſecundi de diebus decretorijs cap. 5. & 9.

Sed in hac opinione illud abſonum videtur, Hyppocratis fuiſſe conſilium ea docere, de quibus nihil omninò docet: nam de ſeptimo, quarto decimo, & viceſimo nihil dicit, quo intelligamus, hæc aliquarum propoſitionum ſubiecta eſſe: non apparet enim, quomodo ex Aphoriſmo cõficere debeamus, dies ſeptimus eſt verus decretorius, quartus decimus item, viceſimus item: quinimmo in Aphoriſmo nec decretorij appellatio vlla, nec diei viceſimi mentio eſt: ſed nec illud placet, veros, & legitimos decretorios Hyppocrati eſſe, ſeptimum, decimum quartum, & viceſimum, quia conſtat Hyppocratem iudicatorios etiam diſertè appellaſſe tertium, quintum, nonum, vndecimum, decimum ſeptimum. Et in prognoſticis non tantum tres à *4. aph. 36. 1. epid. ſect. 3. 3. prognoſt. 3. & 4.*

Mon-

Montano memoratos, ſed & quartum ipſum vndecimum, & decimum ſeptimum iudicatorios appellat; propterea opinio hæc omittenda eſt.

Galenus igitur ſecus docuit, eſſe videlicet ſermonem Hyppocrati de diebus indicibus, & ſpectabilibus, quæ ſententia verbis Aphoriſmi conſentanea eſt: cum enim in parteis treis Aphoriſmus commodè diuidatur, in parte ſecunda eſt hæc propoſitio expreſſa, dies vndecimus eſt contemplabilis, item in dies decimus ſeptimus eſt cõtẽplabilis, à quibus non abhorret, quæ in prima parte habetur: quartus eſt index, quamuis enim alia vox ſit index, quam contemplabilis, illa Græcè ἐπίδηλος, hæc θεωρητὴ, dicta, idem tamen ſenſus putatur eſſe. Docet igitur Hyppocrates, qui dies ſint contemplabiles, ſeu iudices, non autem, qui ſint decretorij, Græcè vocati κρίσιμοι: cuius vocis alius ſenſus eſt, quam dictarum ἐπίδηλος, & θεωρητὴ. Sed vt Hyppocratis conſilium plenius conſequamur, duplex difficultas explicãda occurrit, prior eſt, quotnam dies hi ſpectabiles, vel indices ſtatuendi: altera verò, in quem vſum dies indices notandi veniant.

Quot dies indices ſtatuendi.

De prima, cũ Hyppocrates hoc loco treis ſolos indices memorauerit, quartum, vndecimum, decimum ſeptimum: Galenus, & poſteriores interpretes, & auctores longe plures

plures recenſuerunt: itaque primo docēdum eſt, ſint ne ſoli tres, an plures indices, de Hyppocratis videlicet ſententia: eſſe autem præter tres enumeratos, indicem quoque ſextum diem, manifeſtè traditum eſt quartæ ſectionis Aphoriſmo viceſimono, vbi legitur, quibus in febribus ſexto die rigores fiunt, iudicium ſequitur difficile. Traditum eſt etiam eiuſdem ſectionis Aphoriſmo ſexageſimo quarto diem ſeptimum, nonum, vndecimum, & decimumquartum indices, & ſpectabiles eſſe; nam ſcriptum eſt, quibus in febribus morbus regius ſeptimo, vel nono, vel vndecimo, vel quartodecimo, ſuperuenerit, bonum, &c. inſuper in prognoſticis primus, tertius, quartus, quintus, & nonus pro indicibus habentur illis verbis, quibus à primo protinus die dolor ſuperuenerit, ijs quarto, & quinto die ingraueſcit, mox in ſeptimo liberantur. Sunt non pauci, qui in tertio die dolere incipiunt, quinto maximè moleſtantur, deinde nono, & vndecimo tuti euadunt: ſed quos dolor quinto die vexare ceperit, reliqua ex proportione reſpondent, ijs decimoquarto die finitur morbus. Demum libro de victus ratione in acutis morbis viſus eſt Hyppocrates indicem facere ipſum quartum decimum inquiens, cum febricitans aliquis die decimoquarto obmutuerit, is non ſolet celeriter aut ſolui, aut à morbo liberari; ergo non

lib. 3. to. 33.

4. acut. 65.

go non ſoli tres in hoc Aphoriſmo enumerati, ſed longe plures indices erunt.

Hoc idem etiam oſtenditur Galeni, & illorum, qui Galenū ſecuti ſunt, auctoritate, qui in ſingulis vicenarijs crediderunt, totidem eſſe indices ſtatuendos, quot Hyppocrates in primo vicenario notauit, itaque nonnulli ſchemate huiuſmodi tum indices, tum decretorios dies vſque ad centenos exhibuerunt.

Indic.	*Decr.*	*Indic.*	*Decr.*	*Indic.*	*Decret.*
4.	7.	11.	14.	17.	20.
24.	27.	31.	34.	37.	40.
44.	47.	51.	54.	57.	60.
64.	67.	71.	74.	77.	80.
84.	87.	91.	94.	97.	100.

5. prognoſt. 4. & 6. quorum opinioni fauere Hyppocrates videtur, qui libro prognoſticorum docuit, morborum ſex inſultus per quaternarios auctos in vicenarium deſinere, primus enim quarto die finitur, alter in ſeptimum producitur, tertius in vndecimum, quartus in decimumquartum, quintus in decimum ſeptimum, ſextus in vigeſimum: deinde, inquit, eadem ratione, atque additione, primus circuitus ad quatuor, & triginta, alter ad quadraginta, tertius ad ſexaginta dies perueniet, cum igitur ſimili ratione quaterniones Hyppocrates poſt viceſimum diem obſeruet, videtur

etiam

etiam rationi conſentaneum, voluiſſe, indices quoque dies poſt eundem viceſimum notari.

Verum è contrario, tres tantum eſſe indices dies, & ſpectabiles, mihi facile perſuadetur cogitanti, Hyppocratem alibi nuſquã horum dierum mentionem feciſſe, vel aliorum, qui in ſequentibus vicenarijs reſpondeant his, quos ſolos in primo vicenario recenſuit. Cum enim decretorios locis pluribus memorauerit, ſpectabiles, ſeu contemplatorios, hoc vno prodidit loco, & tres nominatim: eſt autem communis ratio Aphoriſmi, quæ docet, non eſſe Aphoriſmo addendum, neque demendum, alioqui Aphoriſmus non eſſet; Aphoriſmus enim, vt ſententia definita, ita oratio præciſa eſt, vt alibi expoſui, quod ſi vnquam voluit has Hyppocrates ſententias amplificandas, & ad alia transferendas, quæ ipſis Aphoriſmis non expreſſerit, hoc, communibus expreſſis verbis, notauit, vt cum ante dixit. Non ſatietas, non fames, neque aliud quicquam, quod modum naturæ exceſſerit, bonum: multa ſunt non bona, ſi modum exceſſerint, quæ vocibus illis communibus comprehendit, neque aliud quicquam: ergo Aphoriſmi illius ſententia amplificari ex Hyppocratis ſententia poteſt, & transferri ad motus, & labores, ad ocium, & quietem, & ad alia quæcumque in mediocritate *2. Aphor. 4.*

conſtituta nobis prodeſſe ſolent. Idem fecit, cum dixit, quicumque morbi ex repletione, &c. Et concluſit ſententiam inquiens,& aliorum contrarietas. Et infra, cum ait, Multum & repente euacuare,&c. Nam adiungit communem dictionem, quomodocumque aliter mouere. Et hoc igitur loco,ſi transferendum duxiſſet Aphoriſmum vltra vicenos dies, id aliqua communi nota ſignificaſſet.

2. aphor. 22.

2. aphor. 51.

Et quia, vt ante dictum eſt, artis principium experientia eſt, non tanti ratio, quanti experientia facienda eſt. Si quis poſſit docere, experimentis compertum eſſe,& comprobatum, alios ſimiles indices dies vltra viceſimum reperiri, ei credendum fuerit: quod ſi ſolam rationem ſequatur, non facile aſſentiendum. Nemo autem, id experimentis docere, aggreſſus eſt. Et facile ſoluuntur rationes, quibus id doceri poſſe, videbatur. Et primo ad rem non facit,quod alicubi Hyppocrates alios indices dies, non quidem hac indices nota inſigniuerit,ſed indicauerit tantum, vt de ſexto dictum eſt, de ſeptimo, nono, & alijs, quoniam etiam illi intra viceſimum omnes continentur, nec docent, eſſe etiam vltra viceſimum cōtemplatorios, quod nunc quæritur. Illud quidem explicandum monent, cur hoc Aphoriſmo illorum Hyppocrates non meminerit, cuius ratio inuentu facilis viſu eſt; ſcilicet hac dignos appellatione

Cur in hoc aphor. dies indices alibi memoratos Hyppocr. non poſuerit.

tione cenſuit hos tres dies, quia in his ſolent ſigna apparere, quæ nos aliquid doceant de futuris in quocunque morbi genere, & ex ſignis, quæcunque his diebus apparuerint, at ſextus dies vno tantum tempore index dictus eſt, nempe cum rigor in febribus fit: ſimiliter peculiaris caſus eſt, cum ſeptimus, nonus, & decimuſquartus ſpectatur, nempe cum morbus regius febribus accedit: quamquam alter caſus etiam notatus eſt, quo decimus quartus indicat, vbi obmuteſcit aliquis in febre: vti etiam nonus indicat, vbi obmuteſcit aliquis in febre: vti etiam nonus indicat in doloribus, vt de primo etiam tertio, & quinto dictum eſt in prognoſticis, at in quarto, vndecimo, & decimoſeptimo indiciū futurorum aliquod ex omni euentu, & in omni ægritudinis genere accipimus: propterea ſoli nominati ſunt indices, & contemplatorij, & ſoli hoc Aphoriſmo comprehenſi.

De Galeni, & aliorum auctoritate, non poſſum aliud ſtatuere, niſi admonere, conſulendam eſſe experientiam, quę artium fundamentum eſt. Illorum certè opinioni minime fauet ille Hyppocratis locus ex prognoſticis; nam etſi docet, quaternarios etiam poſt diem viceſimum obſeruandos eſſe, non tamen docet viceſimumquartum indicem eſſe inſtar quarti, & triceſimumprimum inſtar vndecimi: & triceſimumſeptimū inſtar decimiſepti-

mi, etenim de ſolis eo libro criticis, non etiam de indicibus ſermo eſt: quando nec in primo vicenario dies indices eo loco commemorauit. Fecit quidem, inquam, quarti mentionem in prognoſticis, & vndecimi, & ſeptimi decimi, verum non vt indices, ſed vt judicatorij ſunt, quod enim de ſolis iudicatorijs loquatur, eo apparet, quod initio tractationis docet, febres æquali dierum numero, ſeu quis liberetur, ſeu occidat, finiri: & deinde exponit, finiri alias quarto die, aliàs ſeptimo, aliàs vndecimo, &c. Finiri autem, & iudicari pro eodem accepit, nam quod primo contextu dixit κρίνονται, dixit in ſecundo παύονται, in tertio, κτείνουσι, & in quarto τελευτῶσιν, vt ſcilicet intelligamus pro ſynonimis hæc accepta, iudicantur ceſſant, finiuntur, quod ſi mors ſequatur, pro eodem accepit iudicari, ceſſare, & interficere. Cum itaque de ſola iudicatione verba faciat, nihil inde accipere valemus, quod doceat, eſſe indices dies vltra viceſimum notandos. Quamuis igitur probabilis illorum ratio ſit, in ſingulis vicenarijs indices eſſe notandos dies, haud tamen aſſentimur, hanc fuiſſe Hyppocratis ſententiam, quando nec oratio eius vlla, nec ipſa hoc comprobant experimenta.

3. prognoſt. 1.

Cur dies indices ſoli tres ab Hyppocrate memorati.

Ad hæc ratio quoque nonnulla afferri poteſt, quamobrem tres illi tantum dies primi vicenarij innotuerint, qui indices, & contemplabi-

plabiles dici meruerunt: namque facilius rerum, quæ crebro fiunt, haberi experientia poteſt, quam earum, quæ raró contingunt: at morbi plerique intra diem viceſimum deſinunt: qui producuntur vlterius pauciores ſunt: illorum igitur, quæ *in* primo vicenario eueniunt, vt magis neceſſaria, ita etiam certior experientia eſt: deinde quo longior morbus, eo plura occurrunt, quæ obſeruationem, & diligentiam impediunt. Præterea exiſtimandum eſt, non abſque Dei prouidentia factum, vt in morbis aliqua appareant, quibus illorum natura manifeſtetur, & ex quibus de futuro euentu præſciri nonnihil poſſit; hoc veró per initia euenire præſtabat: nam quo citius, eo quoque vtilius prædicitur: eſt igitur ea morborum natura, ſiue acuti ſint, ſiue non acuti, vt euentus eorumdem (quod maxime erat optandum) poſſit caſuum obſeruatione præſentiri, qui ante diem viceſimũ eueniunt, & illis præſertim diebus, quos in hoc Aphoriſmo Hyppocrates notauit, & paſſim à Medicis indices, & contemplabiles dicuntur: qui, ex Hyppocratis ſententia, ſoli ſunt, quartus, vndecimus, & decimus ſeptimus.

Iam veró explicandum eſt, in quem vſum Hxppocrates, dies tres propoſitos dirigendos, voluerit; hoc eſt enim cognitu digniſſimum, & à nemine hactenus explicatum. Il- *Vſus indicii dierum.*

lud ſane manifeſtū eſt, indices dici dies, quia futura indicant: ſed quomodo ſit hoc intelligendum, non eſt manifeſtum. Galenus, & omnes Interpretes, & Auctores, quotquot hucuſque vidimus, tradiderunt, diem quartum indicare, quid ſit in die ſeptimo futurū, vndecimum, quid in quartodecimo, decimū-ſeptimum, quid in viceſimo, quæ opinio videtur Montani ſententiam, quam habuit de Hyppocratis conſilio confirmare, quod, ſcilicet, hoc voluerit Aphoriſmo, dies verò decretorios docere: cum enim indices apud veteres Auctores criticorum cauſſa notati ſint, videtur ſequi, hoc Aphoriſmo præcipuum, dies explicari decretorios, ſeptimum, quartum decimum, viceſimum, quando cauſſa horum quartus, vndecimus, decimusſeptimus quos indices vocant, notati ſunt.

Sed hac opinione (abſit verbo inuidia) nihil inanius: hac interpretatione nihil eſt, quod mendacem eſſe medendi ſcientiam (quæ tamen veriſſima eſt) magis perſuadeat: nam quotidiana experimenta, hanc prædicendi rationem fallaciſsimam eſſe, demonſtrant. Et ne de noſtris experimentis aliquid dicamus, quæ in aduerſarijs noſtris penè innumera collegimus, illa tantum propono examinanda, quæ ipſe Hyppocrates in ſuis aduerſarijs, libris videlicet, qui ἐπιδημιῶν inſcribuntur, adnotauit. Eſt enim prima Philiſci hiſtoria libri primi

primi Epidemion ſectione tertia, cui Philiſco quarta die omnia exacerbata dicuntur, quã-obrem hac interpretatione recepta; exſpe-ctanda fuiſſet criſis aliqua in ſeptima die: Is tamen die ſexta mortuus eſt. Nec dicas, Galen. lib. 1. de dieb. decr. cap. 5. docuiſſe, quartũ diem ſexti quoq. indicẽ eſſe: nã hoc eſt Hyppocr. inſcitia, aut negligentia condemnare, maximè verò quod tantũ inter ſe ſextus dies, & ſeptimus, Galeno auctore; differunt, vt ille tyranno, hic verò Regi ſimilis dicatur.

Quarta dies nõ indicat ſeptimam.

Eodem libro Hyppocrates, Metoni, dixit, quarta ſimiliter die omnia exacerbata: ergo & hic in ſeptima iudicari debuiſſet, exſpe-ctanda mors ſcilicet, vel ſaltem in ſexta, vt Philiſco, tamen in quinta ſanatus, dicitur. Eodem rurſus; Eraſinus dicitur in quarta moleſtiſſime ſe habuiſſe, & mortuus in quinta. Ergo quartus dies non magis ſeptimum, quam ſextum, & quintum indicabit. Tertij libri ſectione prima, qui in Dealcis horto habitabat, huic ſanguis de ſiniſtra nare modi-cus quarta die fluxit, quid igitur exſpectari debuit ex hoc caſu? ſanguinis quarta die de naribus ſtillationem Hyppocrates damnat libri primi prorrheticorum primo contextu, vbi Galenus confirmat hoc ſymptoma malũ eſſe, quod & hoc loco aſſeruit: mala verò ſymptomata: quæ die quarto apparent, mortem futuram in ſeptimo portendunt, vel alio-

qui

qui malam criſim, quod eodem loco Galenus docuit, & libri primi de diebus decretorijs, capite vndecimo; ergo æger propoſitus mori ſeptimo die debuiſſet. Quem tamen Hyppocrates narrat die quadrageſimo perfectè iudicatum.

Reſpondebit fortaſſe doctus aliquis, ſæpenumero euenire, vt ob errores criſis ante, vel poſt ſeptimum, fiat, hoc docente Galeno libri primi de diebus decretorijs, capite vndecimo, ſed facile tolletur obiectio, ſi perpenderimus, eumdem Galenum, ob errores ſtatuiſſe, criſim poſſe vno ante die fieri, vt ſexto, cum ſeptimo exſpectatur, & vno, vel altero die poſt, vel certè non vltra quartum, nam & ad nonum, & ad vndecimum vſque produci criſim ob errores eodem capite vndecimo libri tertij de diebus decretorijs proditum eſt: non autem vſque ad quadrageſimum, vt hæc ipſa probat hiſtoria.

Dicent alij fortaſſe, in hoc ægro, de quo nunc agitur, alia exſtitiſſe, quibus cognoſci potuit morbi longitudo, non autem, moriturum ægrotantem, vt robur virium (hoc enim morbus alioqui letalis euinci potuit) & abſceſſus; nam ſplen eleuatus dicitur ipſo die quarto; & quartæ ſectionis Aphoriſmo quinquageſimoprimo Hyppocrates inquit, in febribus abſceſſus, qui ad primam indicationem non ſoluunt, longitudinem morbi ſigni-

ficant,

ficant, quam ſignificare etiam potuiſſet vrina in qua die altera ſedimentum erat craſſiori farinæ ſimile.

Vndecima nõ indicat quartãdecimam.

Verum hæc quoque euaſio, eſt Hyppocratis perſpicua accuſatio: nam cur tam liberè dixit, quartam indicare, quid futurum in ſeptimo, cum tot rerum obſeruatio ſit neceſſaria, quæ criſim viderentur poſſe impedire, quarum mentionem in Aphoriſmo minime fecit? hæc igitur oſtendunt quartam ſeptimæ indicem non eſſe, quibus ſimilia innumera reperiuntur; nec dicat aliquis plerumque euenire, vt quarta ſeptimam demonſtret, rarò ſecus accidere, nam contra ſe rem habere compertum experimentis habemus.

Quod autem de quarta oſtendi, de vndecima quoque ſtatuendum eſt: nam eodem libro primo Epidemiõ hiſtoria eſt Philini vxoris, cui ſomnus acceſſit die vndecima; quamobrem aliquid boni in quartadecima ſperandum fuit; tamen ea mortua eſt die viceſima, ſimiliter Epicratis vxor die vndecima ſudauit, leuius habuit, an igitur die quartadecima ſanata eſt? immo ea die grauiter ægrotauit, & die octogeſima tandem liberata eſt; ergo nec vndecima erit decimæquartæ index dicenda.

Decimaſeptima non indicat viceſimã.

Sed nec decimaſeptima viceſimæ index videri debet, nam libri tertij Epidemion ſectione prima, Hermocratem recidiuam paſ-

ſus

ſus eſt die decimaſeptima, quod debuiſſet indicare perniciem in viceſima; is tamen obijt viceſimaſeptima, cum in ipſa viceſima febris deſijſſet; nec dicat aliquis, decimamſeptimam indicaſſe criſim, quæ die viceſima euenit, quoniam recidiua in ipſa die ſeptimadecima, malum eſt, at mala non ſignificaſſent, ægrum die viceſſima liberatum iri à febre, vt huic contigiſſe Hyppocrates narrauit. Rurſus ægrotum ſequentem, qui in Dealcis horto decumbebat, ait decimaſeptima ſudaſſe per totum, alleuatum eſſe, licet non penitus à febre liber exſtiterit, an igitur non fuit criſis perfecta ad viceſimam diem expectanda? at hic quadrageſima tandem perfectè dicitur iudicatus; ergo nec decimaſeptima viceſimæ index eſt.

Sed ipſis quoque verbis Hyppocrates docere poſſumus, quartam ſeptimæ indicem non eſſe, & ab vndecima quartamdecimam non indicari. nam libro prorrhetic. ſecundo ait, ſi febris in capitis vulnere quarta die inceperit, plerique ad vndecimam iudicari: quod ſi vndecima inceperit, iudicatur ad viceſimam; ergo nec quarta ſeptimam, quia vndecimam, nec vndecima quartamdecimã, quia viceſimam demonſtrat.

Huc accedit Galeni auctoritas, qui ad **Aphoriſmum quartæ ſectionis ſeptuageſimũ primum tradit, à ſeptima nonnunquam indicatam**

dicatam eſſe quartamdecimam, & ab vndecima interdum indicatam eſſe decimamſeptimam, & viceſimam.

Inſuper hac ipſa vulgari interpretatione, redditur incertum, & dubium iudicium, & Medici pugnantia dicere compelluntur; nam ſæpe fit, vt in ægro eodem, cuius morbus pertingat ad diem viceſimum, vel vlterius producatur, indices dies contraria afferant indicia, quamobrem contraria quoque iudicia de eodem fieri neceſſe ſit, quod maxime alienum eſt, atque ridendam: ſed planius hoc explicabo. Tertius æger primæ ſectionis libri Epidemion tertij, cuius antea quoque mentionem feci, dictus eſt quarto die ſanguinem modicum, merumque de ſiniſtra nare emiſiſſe, quo indicio mors die ſeptimo portendebatur; cum tamen eo die nulla criſis adfuerit. Ecce mendacium. Die verò vndecima à febre liber exſtitit. At ſi hunc diem conferas cum alijs, alterum reperies mendacium, & inſuper contrarietatem, contrarietas eſt, quod liberari ægrum à febre, bonum eſt, at quarta dies perniciem indicauerat; mendacium verò alterum, quia ſi vndecimus dies index eſt quartidecimi, bona, quæ vndecimo apparuerunt, quartodecimo debuiſſent eſſe meliora, & perfectiora: at contra euenit, nã quartodecimo febris reuerſa eſt Præterea, iudicia fiũt alia, Paribus alia verò imparibus

dicbus

diebus vti ipſæ acceſſiones, auctore Hyppoc. ipſo, libri primi Epidemion ſectione tertia: itaque Galenus libri primi de diebus decretorijs capite vndecimo docuit, ſi concoctionis nota die quarta apparuerit, & acceſſio diebus paribus fiat, iudicium die ſexta, vel octaua futurum; ſi verò imparibus acceſſio fuerit, ſeptima iudicium exſpectandum, quibus clariſſime notatur licentia illarum propoſitionum, quarta eſt index ſeptimæ, vndecima quartædecimæ, decimaſeptima viceſimæ; quoniam veræ eſſe non poſſunt, niſi diſtinctione adhibita, per pares ne, an per impares dies acceſſiones fiant, cuius diſtinctionis mentionem in Aphoriſmo Hyppocrates non fecit.

Poſtremò dubitari etiam poteſt, vtrum vulgata interpretatio (de quo aliquid ante quoque dixi, quod hic non inutiliter repetemus) verbis Aphoriſmi reſpondeat, &, perſpicuitatis gratia, initio ſumpto à poſtrema Aphoriſmi parte, dies decimaſeptima dicitur quidem ſpectabilis, vel index, ſed non viceſimæ, cum nulla omninò viceſimæ mentio in Aphoriſmo facta ſit; nec eſt in Hyppocrate demõſtrare expreſſam huiuſmodi propoſitionem, decimaſeptima eſt index viceſimæ ſicut quoque in ſecunda eiuſdem Aphoriſmi parte expreſſa, altera propoſitio non eſt, vndecima eſt index quartædecimæ; tantum

tum dicitur vndecima contemplabilis, ſiue index. Quod verò ſit quartædecimæ index, ſicut decimaſeptima viceſimæ putatur, hoc coniectura tantum ab auctoribus dicitur. Id verò coniecere eo, quod, in prima parte Aphoriſmi, crediderunt, expreſſam eſſe hãc propoſitionem, quarta dies ſeptimæ index eſt, vt habetur in antiqua, & Theodori Gazæ verſione, exiſtimantes hunc eſſe ſenſum Hyppocr. verborum, τῶν ἑπτὰ ἡ τετάρτη ἐπίδηλος, quod ſi quis oſtenderit, hæc verba neceſſario non ſignificare, à quarta ſeptimam indicari, eo quoque vulgatæ opinionis fundamentum infirmum apparebit; quia ſi non habent, quo dilucide probent, Hyppocratem docuiſſe, à quarta ſeptimam indicari, minus docebunt, ab vndecima quartamdecimam, & à ſeptimadecima indicari viceſimam. Oſtendo igitur dicta Aphoriſmi prima verba poſſe aliud ſignificare, quam, diem quartum indicem eſſe. Antiqua verſio eſt, ſeptimæ quarta eſt indicatiua; Gazæ verò, ſeptimi dies quartus index eſt. Neutra ſatis videtur reſpondere Græcę orationi; primo namque τῶν ἑπτὰ, pluralis numeri, non poteſt ſignificare ſeptimum numero ſingulari, vti etiam Latinis, dictio, ſeptem, adiuncta pluralis numeri adiectiuo, non ſignificat ſeptimum, qui vnus ſit, & is poſtremus, ab vno ſeptem ſupputatis, ſed ſignificat omnes vnitates, quæ ipſa dictione,

ſeptem,

Digitized by Google

ſeptem, comprehenduntur, aceruum, inquam, ſignificat, qui ſepties monade repetita, conficitur; qui ſeptem planetas dicit, non vnum aliquem ex illis dicit, qui ſit in ordine ſeptimus, ſed omnes, qui ſeptenarium numerum complent. Si quando eadem vox ἑπτὰ ſeptimum ſignificat, tunc habet adiunctum articulum ſingulari numero, & eſt veluti ioniſmus quidam, vt videtur factum in quartæ ſectionis Aphoriſmo ſexageſimo ſecundo. Quibus in febribus morbus regius ante diem ſeptimum accidit, malum; vbi illa, ante ſeptimum, in Græcis quibuſdam leguntur, πρὸ τοῦ ἑπτὰ, numero ſingulari, quæ forma dicendi ipſum ſeptimum ſignificat inſtar Italiciſmi, nam ſolemus dicere *il cinque, il ſei, il ſette*, pro *il quinto, il ſeſto, il ſettimo*, Dantis poetæ Florentini verſus eſt, *De l'vn ſi conoſce il cinque, e'l ſei*, ideſt, *il quinto, e'l ſeſto*, in paradiſi deſcript. Can. 15. ſic Græce πρὸ τοῦ ἑπτὰ, *inanti al ſette*, ideſt, *inanti al ſettimo*. Et hoc conuenit dicto Aphoriſmo, quia, morbum regium accedere, non eſt intelligendum, ante ſeptem dies, ideſt ante totos ſeptem dies, quia ſic non ſuperueniret morbo, ſed ante morbum naſceretur, & hoc videtur fieri, ſi ſcribatur πρὸ τῶν ἑπτὰ plurali numero, *inanti il ſette*, vt aliqui Codices habent, quod non poteſt recte explicari. quoniam noluit Hyppocrates dicere ante totos ſeptem dies, ſed ante

ipſum

ipſum ſeptimum, quod eſt manifeſtum ex lib. acũtorum, vbi in eadem ſententia ſcriptum eſt πρὸ τῆς ἑβδόμης, ante ſeptimam, loco eius, quod dicto Aphoriſmo ſcriptũ eſt, πρὸ τῶν ἑπτὰ. ante ſeptem. Itaque ſermo rectus non fert, vt dicamus, à quarta die indicari ſeptem dies: ita enim primam quoque ſecundam, & tertiam, immò & ſeipſam quarta deberet ſignificare, quoniam hæc quoque ſeptenario comprehenditur: abſonum eſt autem, indicãre qui ante ipſam ſunt dies, & ſeipſam. Itaque nec antiqua, nec Gazæ verſio recipi debet, quia falſam reddunt ſententiam, & verbis aphoriſmi minime cõgruentem: quod ſi quis contendat, vel probet etiam τῶν ἑπτὰ, de ipſo ſeptimo dici poſſe, ſaltem dubia erit interpretatio, quia cũ de primo, tũ de omnibus ſeptẽ accipi poteſt. Quia verò, ſi pro ſeptimo ſumatur, repugnãt, quę ante dicta ſunt, ſatius eſt, pro ipſis ſeptem accipere.

Noſtra verò interpretatio, rebus ipſis, & Aphoriſmi verbis conſentanea eſt. Caſus, & ſymptomata,, quæ certo die apparent, vt quarto, futuros quidem ſucceſſus indicare, non eſt dubium, ſed quia hoc poteſt prædici, euenturum ad certam, & præſcriptam diem, poteſt etiam abſque diei alicuius definitione, priorem modum, & à veritate, & ab Hyppocratis mente, & ſermone alienum, ſupra oſtẽdi, quoniam nec verum eſt, nec Hyppocrates

dicit, ſeptimam à quarta indicari. Verus alter modus eſt, nam & quarta, & vndecima, & ſeptimadecima meritò dicuntur contemplabiles, ſiue indices, quoniam quæ illis primũ diebus in ægris apparent, illa de futuris ſucceſſibus nos certiores faciunt, abſq. tamen vlla temporis definitione, quid ſimile ſonat Aphoriſmus, quod dicitur de Luna, circa futuras tempeſtates, pluuias, ſerenitates, quia Luna maximũ dominium hẽt in his, & antiqui inuenerunt ſignum à Luna, vt cognoſcant ex indicijs, vt dicebam futuras tempeſtates.

Virgil. 1. Georg. Solis, & Lunæ deſcribit indicia ex Græcis, ſed de Luna hæc habet.

Sin ortu in quarto (namque is certiſſimus auctor)
Pura, nec obtuſis per Cœlum cornibus ibit
Totus & ille dies, & qui naſcentur ab illo,
Exactum ad menſem pluuia, ventiſque carebunt,

Vulgus, quia non cognoſcit exactam Lunationem, inquit, *Quarta quinta qualis, tota Luna talis.*

Medicus, quia multa hẽt ex obſeruatione dierum, obſeruauit quoque hos dies indices, & contemplabiles, vt ex illis vniuerſum progreſſum morbi colligat, & ab obſeruatione eorum, quæ accidunt poſſit de toto progreſſu prognoſticum ferre, quod admirabilem, & diuinam reddit medicinam; ſed res exem-

plis

plis illuſtrior reddi debet.

Libri ſecundi Epidemion ſectione tertia ſcriptum eſt, ſanguinis contingentes die quarta eruptiones, ægrè iudicant, non ait, ſeptima die futurum iudicium, ſed infinitè, iudicium eſſe difficile: quia hoc verum, illud falſum reperitur. Igitur quarta indicat quidem, ſed non ſeptimam; dixi ante, ſextam quoque indicare, ſed infinitè, quia ſi rigor fiat, difficile iudicium ſequitur, ſed qua die futura ſit iudicatio, non eſt expreſſum, quia incertum. libro acutorum, inquit auctor, ſi febricitanti quarta die lingua conturbata quædam loquitur, & aluus excernit biliosa, & liquida, is dilirabit. At quando futurum ſit delirium, non expoſuit, quia incertum. In Coacis de die vndecima hæc habentur: Sanguinis ſtillationes vndecima die contingentes, difficiles ſunt: ſed quo die, quid futurum, prætermiſſum eſt; ſcilicet, quod Hyppocrates nouerat, id litteris mandabat, vt poſteris vſui eſſe poſſet, quæ oīnò ignorabat, quod ſilentio inuolueret, accuſandus non eſt. *4. aphor. 29.* *4. acut. 66.*

Si ergo velim cunctis meis adnotationibus hanc rem confirmare, infinitum opus aggrediar, tam multa huius veritatis cauſſa indagandæ in aduerſaria mea contuli; ſed videtur neceſſarium aliqua narrare, ne videar pudori meo plus ſatis parcere, & lectoris cōmodo parcius iuſto proſpicere.

Digitized by Google

A. D. 1590. *Kalen. Iulij* Dum hæc ſcribo; Samuel Polonus nobilis adoleſcens febri continua detinetur, quæ ſingulis diebus à meridie magis affligit, nec quarto die, nec vndecimo aliquid effatu dignum euenit, interim dolor capitis vehemẽs, & pondus, lotium rubrum, & craſſum, ſomnus interruptus: ad diem decimamſeptimam (cum nec febres iam æque vehementer exercerent, & ſatis dormiret, & promptiorem quoque ad cibum ſe exhiberet) lotium mutatum eſt: copia maior; ſed mane, vt copioſius, ita dilutius, à meridie verò eſt coloratius: quid igitur? viceſima die fuit exſpectandum iudicium aliquod? poſtridie etiam, hirundinis retro aures poſitis, ſanguis copioſe extractus dolorem, & capitis grauitatem ex toto ſuſtulit: ſed viceſima die ſolito more febris manſit, & ſequentibus diebus, indicante euentu diei decimæſeptimæ morbi productionem (cui abſtipulatur lotij varietas, vt *4. aphor. 51.* libro acutorum Hyppocrates docuit) non autem iudicium aliquod ad certam diem: productus igitur morbus eſt in diem quadrageſimum, à quo ſenſim in melius proficiens *An.D.* 1588. *Mẽſe Ianuario.* paucis diebus reſtitutus eſt. Biennio ante Franciſcus Vitocius ſenex febre continua laborauit, lingua in primis aſpera, lotium perturbatum, tremores, delirium. Die quartadecima lotium perſpicuum reddi, & omnia remittere, Decima ſeptima recidiua, ex

qua

qua ægrum moriturum intelleximus; obijt autem decimanona, non exſpectata viceſima. Hæc ſunt diei decimæſeptimę exempla: dicamus de vndecima.

Anno elapſo, febre continua, quæ ſingulis noctibus ingraueſcebat, laborauit Antonina Rogheria Mutij Bufali Patritij Rom. coniux. Die vndecima ſemel reddidit lotium præter morem perturbatum, & coloratius. Ex eo conieci periculum imminere grauiſſimum, at quo die criſis eſſet exſpectanda, incertum: vndecima dicitur quartædecimæ index, at id non fuiſſe dicendum, experimenta docuerãt. Illa defuncta eſt ineunte die tertiadecima. Quartæ verò diei exempla ſunt longe plura. *An. Do. 1589 menſe Octobr.*

Anno eodem, Auguſtinus, Auguſtinius in febrem incidit continuam. Quarta die lotiũ comparuit craſſius, & coloratius: quid igitur in ſeptimã exſpectaſſes? quinta die febris ceſſauit, & aliquot diebus ſine febre fuit. Recidiua facta eſt die decimatertia: deinde ſanatus eſt. Recidiuam ex motu quarta die facto prædixi quidem, ſed abſque temporis definitione: quia ſi dixiſsẽ criſim futurã certo die, ſciebam facile futurũ fuiſſe, vt mentirer. *Menſe Aprili.*

Aurelius Careſana adoleſcens Romanus ante duos annos primis tribus diebus febre continua correptus eſt, ſecundo, ac tertio die nulla exacerbatio, quarto die horruit, vehementius febrijt: periculoſum, dixi con- *An. D. 1588. Menſe Iulio.*

feſtim, morbum futurum, nec ſolutum iri, ægro ſuperſtite, niſi ſpacio, ac tempore admodum longo. Si dixiſſem, die ſeptima criſim futuram, vel bonam, vel malam, mendacium fuiſſet inſigne, intra diem viceſimum acutus fuit morbus, ſoporoſus, tremulus, delirus diu fuit, poſtea mitiore facta ægritudine, poſt tertium menſem priſtinæ integritati reſtitutus eſt.

Differt tamen tempus à tempore, hominis natura, cauſa quoque plurimum conferunt, vt rectè de futuris coniectura capi poſſit, nã ex eiſdem ſignis, & eodem die, ſecus vere quam autumno prædicemus. ſic.

Anno Dom. 1587. Ludouico Boſio adhuc iuueni menſe Aprili de naribus ſanguis die quarta exiuit; cum febris continua eſſet; & ſanatus eſt die viceſima ſecunda. Et menſe Maio Euerardus Monaldeſcus intra quindecim dies à febre liberatus eſt, quæ quotidie exacerbabatur, cum quarto die ſanguis de naribus multum fluxiſſet, ipſe verò adoleſcens eſſet.

Anno Domini 1586. Maximiano Bruno Canonico ſæculari Sancti Georgij in Alga Venetiarum (vt vocant) menſe Septembri in febre, continua exiſtenti, die quarta ſanguis è naribus: morbus eſt vltra diem ſexageſimum productus, ætate iam conſiſtenti.

Paulus Leopardus adoleſcens, menſe Aprili, anni eiuſdem, in febre continua miſit quarta die

ta die ſanguinem de naribus, octaua die mor tuus eſt.

Nicolaus Mara, alumnus Collegij Germa nici, menſe Nouembri, in tertiana ſanguinem de naribus quarta die reddidit, qua etiam die febris non omninò ceſſauit, quæ deinde fuit continua; obijt die quintadecima. *Anno Domini 1584.*

Sed de tota prædicendi ratione alibi diſſe- rendum eſt. His verò exemplis intelligitur, dierum conſenſum eiuſmodi non eſſe, vt vel ſemper, vel plerumque dies quarta ſeptimam indicet: ſed caſus, diebus indicibus apparentes, morbi conſtitutionem, quæ futura eſt, ſine tẽporis definitione, ſignificare, quod ſatis eſt ad præſentis Aphoriſmi explanationem. *Obiectiones.*

Sed obijcitur Aphoriſmus quartæ ſectionis ſeptuageſimus primus, qui docet, à quarta die ſeptimam definitè indicari. Quibus ſeptima indicatur, his nubeculam habet quar to die vrina rubra. Reſpondeo, hunc Aphoriſmum non attingere meam interpretationem: hic enim tantum docet, aliquando ſepti mam à quarta iudicari, & hoc ſpeciatim, in quibus morbis rubra appareat vrina; & alia quæ ſolent bonam criſim denunciare, debito more, adfuerint: ſic etiam non negaui (hoc enim Hyppocrates docuit) quartam diem aliquando eſſe vndecimæ internuncium. Negatur ſimpliciter à quarta indicari ſeptimã: & communiter omnes tam bonam, quam

Digitized by Google

prauam iudicationem indicari cũ exiſtimẽt, obiectus Aphoriſmus ſolam ſalubrem criſim comprehendit: nam ſi ex bonis ſignis, quarta die apparentibus, poteſt dignoſci, morbum ſeptima iudicatum iri, non eſt neceſſarium, vt ex malis etiam mortem futuram, eadem die, ſtatuamus: nam, etſi nonnunquam euenit: plerumque tamen eſt falſum, vt experimentis dicimus.

Obijcitur quoque Aphoriſmus quartæ ſectionis 63. quo in loco docet Hyppocretes, Morbum regiũ fieri vndecima die In febribus bonum ergo nõ videtur Aphoriſmi propoſitum, & intentio, quòd dicimus.

Illud eſt perpetuo verum, abſque temporis definitione dies contemplabiles vocatos, vel indices, futuram morbi conſtitutionem denuntiare vel longam, vel periculoſam, & hoc eſt propoſiti Aphoriſmi documentum. Eſt pro hac interpretatione text. 6. 3. prognoſt. Vide locum, inquit Hyppocr. ſed à primo die animaduertendum eſt, & conſiderandum, quod quę ſingulis additis quaternarijs, nec latebit quo nã vertatur morbus, & vide in fine de ſeptimeſtri partu quid dicat Hypp. Eſt quidem optabile, certam quoque criſis diem præcognoſcere, & nos huic quoque rei pro viribus operam dedimus, ſed hoc Aphoriſmo hæc prædicendi ratio non comprehenditur: nec vno præcepto tradi poteſt,

ſed

ſed multis, de quibus Hyppocrates alijs locis (quoad ſciri poteſt) verba facit, vt gratia exempli, Aphoriſmo dicto ſeptuageſimoprimo ſectionis quartæ, & libro ſecũdo prorrheticorum, vbi de febre loquitur vulneribus capitis adueniente, cuius etiam loci mentionem antea fecimus: & non eſt in his contrarietas aliqua, ſed conſenſus, atque ordo pulcherrimus: nam prædictio ſucceſſus ægritudinum alia habetur ex indicijs certo die apparentibus, alia verò ex eiſdem, quocunque die conſpiciantur, & de poſteriore Hyppocrates paſſim multa narrauit, priores autem alia communis eſt, alia priuata. Poſterioris exemplum eſt ille Aphoriſmus quartæ ſectionis viceſimus nonus, quibus in febribus rigores ſexto die. Et triceſimus ſextus, ſudores febricitantibus ſi inceperint. Prioris verò alia fit abſque temporis definitione, quo tẽpore ſucceſſus futurus eſt. Alia verò certa die expreſſa. Eius verò, quæ certum tempus non habet, aliquod præceptum commune reperitur, vt in hoc Aphoriſmo, de quo diſſeritur, cum dicitur, quarta, vndecima, & decima ſeptima indicare. Aliquod eſt priuatum, cuiuſmodi eſt illud in Coacis prædictionibus, ſanguinis ſtillationes vndecima die contingentes. Alterius, quæ nititur indicijs certo die euenientibus, & certam quoque ſucceſſus futuri diem præſcribit, varia apud

Hyppocratem monumenta leguntur, vt libro
2. progn. 53. ſecundo prognoſticorum in ſermone de ſup-
3. progn. 23. puratione, & libro tertio vbi loquitur, de ſpontanea vomitione. Iam verò ipſum percurremus Aphoriſmum, ex quo intelligemus verbis Hyppocratis magis noſtram, quam vulgatã interpretationem congruere. τᾶν ἑπτὰ fidelis Interpres debet vertere; non, ſeptimæ, vel ſeptimi, ſingulari numero, nam hæc eſt commentatio potius, quam tranſlatio; ſed, ſeptem, numero plurali, vt intelligamus, dierum ſeptem: ſermo eſt enim haud dubius de diebus; ἡ τετάρτη, quarta ἐπίδηλος, hæc vox varia ſignificat; propterea facile fuit in eius explanatione à recto tramite deuiare, & obſcuram, & falſam Aphoriſmi ſententiam reddere. Hyppocrati ἐπίδηλος, eſt conſpicuus, ſeu manifeſtus, vti libro de carnibus, cum homo dicitur conſpicuus eſſe ab anno ſeptimo ad decimum quartum. αὐξάνεται δὲ ἐπὴν γένηται ἐπίδηλος; ἐπίδηλος δὲ μάλιστα γίνεται ἀπὸ ἑπταετέος μέχρι τεσσαρεσκαιδεκαέτεος, quo ſenſu acceptum eſt quoque ab Ariſtotele libro quarto de generatione animal. ἐν ὅσοις ἔθνεσι πονητικὸς ὁ τῶν γυναικῶν βίος, οὐθ' ἡ κύησις ὁ μοίως ἐπίδηλος ἐστι quibus in gentibus mulierum victus laborioſus eſt, nec conceptus ſimiliter eſt manifeſtus. Et paulò poſt, τοῖς μὲν αὖ τῶν ὀλίγη γίνεται κάθαρσις, τοῖς δὲ οὐκ ἐπίδηλος ὅλως. His quidem exigua purgatio fit. His verò omnino non conſpicua, ſed hic ſignificatus

catus huic loco non inſeruit. Accipitur etiam pro ſimili, vt notat Ariſtophanis Græcus interpres ad illud Pluto. ἀλλ᾽ ἔστιν ἐπίδηλον τι πω πανυργικόν. Sed eſt ſimile impoſtori. Verum neq. hic ſenſus quadrat Aphoriſmo. Eſt alius ſignificatus, qui ex Ariſtotele intelligitur libri octaui de hiſtoria animalium, capite decimo octauo, nam inquit τῶν δ᾽ ὀρνίθων ἐν ἀῤῥωστίαις ἐπίδηλος ἡ πτέρωσις γίνεται. Auium in morbis indicium eſt pluma, vel (ſi libet) index eſt pluma, qui ſenſus conuenire poteſt Aphoriſmo, ſi rectè accipiatur, ſed non caret propter ambiguitatem obſcuritate: namque vt Ariſtoteles dixit, ἡ πτέρωσις ἐπίδηλος τῶν ὀρνίθων, pluma index auium, hoc eſt, indicat aues; ita Hyppocr. videtur dicere, τῶν ἑπτὰ ἡ τετάρτη ἐπίδηλος. Quarta index ſeptimæ, hoc eſt, ſeptimam indicat; quæ ſententia, quas habeat difficultates, ante docuimus. Eſt igitur poſtremo alter ſignificatus eiuſdem vocis, videlicet inſignis, & illuſtris, dicemus etiam conſpicuus, hoc eſt, dignus, qui aſpiciatur, & obſeruetur, dignus, quem Medici contemplentur, vel dicamus etiam, index, ſed ita, vt dicatur index, abſolute, non autem, vt dirigatur ad illud, ſeptem, vel ſeptimi, vt videlicet propoſitionis ſubiectum ſit totum hoc, ſeptem dierum quarta, de quo ſubiecto dicitur, index, vt intelligamus, quartam eſſe indicem non dierum, ſed morborum: non ſecus, atque

ſi di-

ſi dicatur, quarta inter dies ſeptem, ſiue ex diebus ſeptem, inſignis eſt, quia ex ijs, quæ in illa ægri patiuntur, futuræ morborum conſtitutionis ſigna certiſſima capiuntur. Septem verò dies dicuntur, qui ab vno, hoc eſt primo ægritudinis die numerantur, donec ad ſeptimum deuenerimus; hæc autẽ eſt prior hebdomada totius ægritudinis. Cui ſuccedit ſecunda, cuius initium eſt dies octaua, vt in Aphoriſmo ſcriptũ eſt. ἑτέρης ἑβδομάδος ἡ ὀγδόη ἀρχή. Alterius, videlicet ſecundæ hebdomadis, octaua initium; qui modus dicendi docet, in prioribus verbis de prima hebdomada ſermonem eſſe; non autem verbis illis, ſeptenorum, quartus eſt index, ſignificari, omnes ſeptenarios; quia dictio, ſeptem, non accipitur vnquam ad aliud ſignificandum, quam numerum ex primis ſeptem monadibus confectum. Secundæ igitur hebdomadæ dies vna eſt contemplatione digna, vt etiam primæ, & hæc eſt vndecima, ideò inquit Hyppocr. θεωρητὴ δὲ ἡ ἑνδεκάτη. Contemplabilis verò vndecima. Cur ſit contemplabilis, docet deinceps inquiens, αὕτη γάρ ἐστι τετάρτη τῆς ἑτέρης ἑβδομάδος. Hæc enim quarta eſt alterius hebdomadæ. Quibus verbis oſtendit, parem eſſe vndecimæ, & quartæ rationem, quamobrem intelligimus, pro ſynonimis accepta, ἐπίδηλος, & θεωρητὴ. index (vt vtar vulgato nomine) & contemplabilis. Non dicit autem

deci-

decimam ſeptimam eſſe contemplabilem ob quartamdecimam, ſed abſolute inquit, contemplabilis, vt oſtendat, ex ea poſſe de futura morbi conſtitutione aliquid iudicari, ijs videlicet conſideratis, quæ ea ipſa die notatu digna ægris eueniunt, vt de quarta dictum eſt. Non dicitur autem aliam ob cauſſam contemplabilis, quam ob dictam rationem, non quia cum quartadecima conſenſum habeat, & futuram iudicationem in quartadecima, oſtendat; quod nec in Aphoriſmo expreſſum eſt, nec euentui reſpondet. His de ſecunda hebdomada explicatis, accedit Hyppocrates ad explicandam tertiam. cuius initium non explicauit quidem, ſed ita locutus eſt, vt neceſſario colligamus, diem quartamdecimam, quæ finis eſt ſecundæ, initium eſſe tertiæ; illud verò apertè docet, diem decimam ſeptimam eſſe huius ſeptimanæ quartam; ergo prima eſt ipſa quartadecima, ab hac enim ſola ſupputandi ſumpto principio, decimaſeptima eſt quarta: ait verò ipſam decimamſeptimam eſſe contemplatione dignam. Θεωρητὴ δὲ πάλιν ἡ ἑπτακαιδεκάτη, contemplabilis autem rurſus ſeptimadecima. Ratio, αὕτη γάρ ἐστι τετάρτη ἀπὸ τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης, quia eſt hæc quarta ab decimaquarta; quo docemur, initiũ tertiæ huius hebdomadæ quartam decimam. & finem viceſimam, licet viceſimam non expreſſerit. Sed ſubdit alteram ratio-

rationem. quod eadem decimaſeptima ab vndecima (excluſa tamen) ſeptima eſt, & idcirco contemplatione digna. Hæc hactenus. In hac autem verborum ſerie, quæritur iure primum, cur quarta dicta ſit illuſtris, inſignis, ἐπίδηλος, deinde cur vnam diem tertiæ hebdomadæ principium faciunt, & finem ſecundæ. Inſuper, cur ait Hyppocrates eſſe vndecimã contemplabilem, quia eſt quarta ab ipſa ſeptima, & decimamſeptimam, quia eſt quarta à quartadecima, & ſeptima ab vndecima.

Quarta cur dicta illuſtris Reſpondeo, quartam, vndecimam, decimamſeptimam eſſe contemplabiles, ſed ex his quartam maiora habere priuilegia, & idcirco peculiariter dictam eſſe inſignem, illuſtremque hoc eſt maximè contemplabilem: *4. aphor. 71.* quod multis ex Hyppocrate locis oſtendi po- *4. aphor. 74.* teſt: nam quarta ſectione Aphoriſmorum ſcriptum eſt, quibus ſeptima iudicatur his nubeculam habet vrina quarta die rubram. Et eadem quibus ſperatur, abſceſſum futurum ad articulos, liberat ab abſceſſu vrina multa, valde craſſa, & alba facta, qualis in laborioſis febribus quarto die quibuſdam incipit fieri. In ſeptima ſectione, qubus in febribus quarto die ſanguis è naribus fluxe- *7. aphor. 87.* rit, malum. Libri Epidemion ſecundi, ſectione tertia, dicto die contingentes ſanguinis eruptiones ægre iudicant. In Coacis. In febre ardente fluxio ſanguinis è naribus, quarta die,

ta die, mala eſt, ſi non aliud quid boni coinciderit. Verum quinta minus periculoſa eſt. Et in eiſdem, ſi à quarta die ſanguinis fluxus fiat, diuturnitatem ſignificat, & aluus erumpit, & crurum tumores. Item in eiſdem. Soporoſi in principijs euadentes, cum capitis, lumborum, colli, præcordij dolore, vigilantes, num phrenetici ſunt? naſus in his deſtillans, pernicioſus, tum alias, tum quarta ab initio die. quæ leguntur initio quoque primi libri prorrhetic. libro de articulis, reponere verò oportet eadem die (ſermo eſt de luxatis digitorum articulis) aut poſtridie: tertio, aut quarto minime: quarto enim die maxime recrudeſcere ſolent. Item in eodem: resectiones oſſium perfectæ circa articulos, & in pede, & in tibia ad malleolos, & in cubito ad iuncturam manus, pleriſque quibus reſecantur, innoxiæ ſunt, ſi non ſtatim animi deliquium euertat, aut quarta die febris continua accedat. Inſuper libro de diæta morborum acutorum, ſi febricitanti quarta die lingua conturbata quædam diſſerit, & aluus excernit biliosa, & liquida is delirabit. Leguntur verò & alia eodem libro, ſi dies quartus in aliquo iam dictorum tertio fuerit ſimilis, ſcire licet ægrum in periculo verſari. Præterea libro 2. prorrhetic. incipere febrẽ in capitis vulnere quarta die, valde lethale eſt. Tam multa igitur Hyppocrates de quarta die

Num. 78.

Num. 79.

Lib. 4. acut. 66.

lib. 4. acu. 57.

Num. 23.

ta die

ta die notauit, vt iure merito non ſolum contemplandus, ſed inſignis etiam, atque illuſtris dictus ſit. Sunt quidem etiam vndecimus, & ſeptimus decimus contemplandi, ſed tam multa de his, atque de quarto, non ſunt notata, & litteris tradita, propterea ipſi quarto, vt cedunt, ita cognomen illuſtris non ſunt conſecuti.

Alteri quæſito Galenus ad hunc Aphoriſmum reſpondet, inquiens, hoc in libro de diebus decretorijs docuimus. In præſentia verò ſufficiet, etiam ſine cauſſa, nouiſſe, quod experientia comprobat. Poſſumus igitur (nec aliter fortaſſe poſſumus) reſpondere, Hyppocratem hoc ſtatuiſſe experimentis perſuaſum. libro ſecundo de diebus iudicatorijs attulit quidem Galenus rationem, ſed eam, quæ vt ſuperior, ita rem eſſe, non cauſſam, doceat, nam ait, viceſimum diem eſſe iudicatorium, qui finis tertiæ ſeptimanæ, ex Hyppocratis ſententia, ſtatui debet: hinc verò efficitur, vt quartusdecimus (qui eſt finis ſecundæ hebdomadæ, vt inde certo conuincitur, quod vndecimus pro quarto ſecūdæ ſeptimanæ accipitur) ſit initium tertiæ. Sed hoc non eſt, docere, quamobrem coniungi debent, & confundi ſecundæ finis, & tertiæ ſeptimanæ principium: docet tantum, hoc Hyppocratem voluiſſe, & hoc effici, & concludi ratione ſumpta ex ijs, quæ ab illo manifeſtè dicta ſunt.

lib. 2. de diebus iudic. capit. 3.

ſunt. Itaque non eſt alia manifeſta cauſſa, quamobrem in Hyppocrates ſtatuerit, niſi experientia, vt omnia artium principia hoc nituntur fundamento. Hyppocrates aliam videtur rationem indicaſſe libro prognoſtic. dicens, dierum ſupputationem, qui à Medicis obſeruandi ſunt, per integros dies fieri non poſſe, quippe cum nec annus, nec menſes ipſi integris diebus numerari poſſint. Itaque non eſſe mirum, quod in ſecunda, & tertia hebdomada integritas non appareat; ſed neque hoc ſatisfacere poteſt: quia non docet, cur prior hebdomada diſtinguatur à ſecunda, tertia verò minime: cur enim non potius illæ, quam hæ iungendæ fuere? eſto, tres hebdomadas viginti diebus, vno ſcilicet minus compleri, nec quærendam integritatem: iam non hoc quærimus, ſed, cur tertia potius cum ſecunda ſeptimana, quam ſecunda cum prima iungi debuerit, Sed vt viceſimum decretorium, non viceſimumprimum, docente experientia, Hyppocrates notauit, quod Galenus faſſus eſt libro ſecundo de diebus decretorijs, ita decidit experimentis (vt ante ex eodem Galeno aſſerui) eumdem eſſe diem ſecundæ hebdomadæ poſtremum, & tertiæ primum conſtituendum. *lib 3. progn. 3.* *lib 2. de dieb. decret. cap. 4.*

Reliqua eſt poſtrema, & difficilior quæſtio, cur dicta ſit vndecima contemplanda ob eam rationem, quod quarta ſit alterius

heb-

hebdomadæ, quaſi ſumpſerit, cuiuſlibet ſeptimanæ quartam diem cōtemplatione dignam eſſe: quamobrem & decimamſeptimam ſimiliter contemplandam dixerit, quia eſt tertiæ hebdomadæ dies quarta, facto ſupputationis initio à quartadecima. Cuius tamen contrarium ante docuimus, cum tres tantum eſſe dies indices, explicauimus; ſed cur etiam Hyppocrates adiecit, decimam ſeptimam eſſe contemplandam, quod ſit ſeptima ab vndecima, hoc enim quaſi docet, omnem ſeptimam diem eſſe contemplandam, cum tamen hoc nuſquam docuerit.

His reſpondendum exiſtimo, omnē quartam, & omnem ſeptimam contemplandam eſſe, apud Hyppocratem non exſtare. Sed nec dicendum fuiſſe, quia & incompertum eſt, neque oſtendi argumentis euidētibus poteſt. Vſus, & rerum obſeruatio docuit, quartam diem futura mala clariſſime demonſtrare, illa igitur præ cæteris notanda eſt. Eiſdem magiſtris innotuit, vndecimam quoque, & decimam ſeptimam eſſe malorum nuncias. Cum autem hæc ita cognita fuerint, poſito eo, nēpe quartam ex ſeptem eſſe contemplatione dignam, potuit Hyppocrates probabili ratione concludere, vndecimam eſſe inſpiendā; ſcilicet, addita ad experientiam ratione, quod qualem habet in priori hebdomada vim dies quarta, talem habet in ſequenti dies vndeci-

ma

ma (quod docuit experientia) ergo vndecimam contemplandam, quia eſt ſecundæ hebdomadæ dies quarta. Et eadem dicenda erũt de die decimaſeptima, cum dicat eſſe quartam à quartadecima. Cur autem dixerit, decimamſeptimam eſſe contemplandam, quia ſit ſeptima ab vndecima, hoc eſt iudicatu difficillimum; quando nullo docuit loco, ſeptimos dies eſſe contemplandos. Itaque exiſtimo noluiſſe, hanc diem contemplatione dignam ſtatuere hac de cauſa, quia ſit ſeptima ab vndecima; hoc enim experientiæ debebatur; ſed hoc adieciſſe ad confirmandum, decimamſeptimam eſse quartã à decimaquarta, poſito tertiæ initio hebdomadæ in ipſa decimaquarta. quia ſi etiam dicemus decimamſeptimam eſse ſeptimam, huius ſeptennij principium locandum eſset in ipſa vndecima, licet eadem ſit quarta alterius hebdomadæ, cuius initium eſt dies octaua, vt non miremur, decimamquartam, quæ finis eſt alterius ſeptimanæ, eſse tertiæ principium; & idcircò, ſumpto ab ea ſupputationis principio, decimamſeptimam quarto loco occurrere, quando etiam vndecima, quæ quarta eſt, pro prima cuiuſdam hebdomadæ accipitur. Poſset tamẽ Hyppocrates accuſari, quaſi hæc temere dixerit, quia dies quælibet poſt poſt ſeptimam poteſt ſtatui initium, & finis alicuius ſeptimanæ: ſed obiectio tollitur facile,

cile, quia nullum eſt myſterium in eo, quod obijcitur, ſi videlicet dies quęlibet vltra ſeptimam dicatur initium, & finis cuiuſdam hebdomadæ: myſteriũ verò eſt in eo, quod Hyppocrates propoſuit, quia libro prognoſticorum ſex morborum aggreſſibus dies certos ſtatuit ab vno ad viginti, videlicet quartum, ſeptimum, vndecimum, decimum quartum, & decimumſeptimum, viceſimum; itaque nõ eſt dies quilibet alicuius hebdomanæ principium dicendum: quia nihil ad prædicendum conduceret.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google